





JOANNIS DAVIDIS MICHAELIS,

PHILOSOPHIAE PROFESSORIS ORDINARII,
SOCIETATISQUE REGIAE SCIENTIARUM
GOETTINGENSIS SECRETARII

CURAE
IN VERSIONEM SYRIACAM ACTUUM APOSTOLICORUM

CUM CONSECTARIIS CRITICIS DE INDOLE, COGNATIONIBUS ET USU VERSIONIS SYRIACAE TABULARUM NOVI FOEDERIS.





GOETTINGAE,
SUMTIBUS *VICTORINI BOSSIEGEL* MDCCLV.

PATRI OPTIMO

D. CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS,

THEOLOGIAE LINGUARUMQUE ORIENTALIUM IN FRIDERICIANA HALENSIUM ACADEMIA PROFESSORI ORDINARIO

S. D.

SIMULQUE HUNC LIBELLUM MITTIT, DICATQUE,

JOANNES DAVID MICHAELIS.

Triplex mihi, Pater Optime, insolitae hujus epistolae, qua TUUM esse jubeo commentarium meum in Syriacos actus apostolorum, caussa fuit. Primo enim non patrem TE solum, sed & in literis Syriacis praeceptorem grata ac pia mente veneror, a quo & olim in academia Halensi hac eruditionis Orientalis parte, ut reliquis, imbutus sum, & deinde in ea ad usus criticos transferenda, lecto TUO de lectionibus Novi Testamenti ex versionibus caute colligendis libro, mirifice profeci: ut non jam praeter morem Patri filius librum dicare, sed, quod minus insolens est, Praeceptori, eidemque arbitro scriptorum, quae acceperam reddere videar. Quodsi TIBI opibus eruditis, quas mihi in illo TUO libro commodaveras, bene eumque aliquo fructu usus, nonnihilque usurae & grati foenoris addere visus fuero, amare hanc meam molestam & horridiusculam scriptionem, atque etiam reliquis meis plus jucunditatis habentibus, minus laboris, praeferre incipiam.

Altera caussa fuit, quod de controversia, TE inter atque Bengelium amicissime agitata, sitne versio Syriaca ope Latinae facta, sententiam dicere sustinui: quae uti ab omni studio vel TUARUM partium remotissima est, debebatque esse si TIBI eam probari vellem, pie tamen & verecunde magis dici non potuit, quam si TIBI arbitro offerretur. Videbis, idem me tenere, quod & TU affirmabas, versionem Syriacam, neque ex Latina, neque ejus ope factam: & tamen, quod volebat Bengelius, non inficiari, singularem esse utriusque versionis concentum, qui unde ortus sit, demonstrasse me spero, simulque perfecisse, ut versio Syriaca, ubi cum Latina versione concinit, suffragii jure excidat. TU jam hac de mea sententia judex sede, atque dispice, possisne calculum his adjicere, quae de suspecto consensu utriusque versionis commentatus sum: quae si vera sunt, non parum auctoritatis graecis exemplis vulgatis addent, deque versionis Latinae codicumque graecorum ejus sequacium auctoritate in judicando de lectione N. T. multum dement.

Tertia ratio ex omnibus mihi jucundissima contingit: quod nempe TU solus ex illis superas mihique relictus es, a quibus potissimum cupiebam hunc meum libellum totum legi & expendi. Neque enim est ex eo librorum genere, quo omnes uti aeque possunt: nam licet sperem, eruditos lectores Novi Foederis universos in eo inventuros, quae legisse haud poeniteat, vix tamen ipse auctor sim homini criticis disputationibus non probe adsuefacto, earumque minutias tolerare solito, ut paragraphos II. III. VI. VII totos perlegat, eo fine a me scriptos, ut illos delibet, quotiescunque de aliqua lectione anquirendum est, neque aliter

ter illis utatur, quam Millii, Bengelii, Wetstenii compilationibus variarum lectionum uti solemus. At videbam, paucos tamen fore lectores, qui per singula irent; ex quibus TIBI atque Bengelio primas dabam, ab hoc etiam, ut meminisse TE credo, ad perpurgandam quaestionem de versione Syriaca publice privatimque excitatus. Cum ergo ante tres annos collectanea mea retractare, inque libri formam redigere inciperem, ita eum TIBI atque Bengelio destinabam, ut commentationem meam, de Vestra inprimis agentem amicissima controversia, Bengelio, meam quoque exquirenti & provocanti qualemcunque sententiam, missurus ac dicaturus essem: ut ipse recordaberis. At diu protracto labore molesto, cum neque per alia negotia, quibus pene obruor, neque per oculorum imbecillitatem, quam minutas literas Millianas numerosque Wetstenianos, codicum indices, identidem inspiciens, persentiscere incipiebam, festinare magis possem, parte opusculi typis jam descripta, parte calamo exarata, fine illius adhuc rudi & imperfecto, ereptus mihi lector est, quo vel solo, aeque ut ille apud Ciceronem poëta uno Platone auditore, laetaturus eram. Cupiebam porro a Wetstenio haec mea legi: non quod humanitate aut amicitia viri delectarer, nec quod ab eo laudis quidquam aut gratiarum exspectarem, quem certis testibus noveram non sibi a conviciis temperare potuisse, cum mei nominis recordaretur, quia de ejus editione Novi Testamenti in Relationibus de libris novis verissimam, uti adhuc dum puto, sententiam dixeram; sed quod sperarem, posse ab illo mea observata magis quam ab alio ullo, TE excepto, ad usus criticos transferri, atque etiam fore, ut viro doctissimo voces aliquas exprimerem, ex quibus intelligeretur, diligentiusne

codices graecos excerpsisset, quam Syriacam versionem. Non certe inique ferre potuisset, versionis Syriacae diligentius conferendae a me exemplum proponi: quodsi etiam irasceretur denuo, poterat sine mea ulla ignominia omnes illas ingenuo homine indignas voces in me libro etiam scripto jactare, quibus non me solum, sed & Bengelium, laesum esse scio. Quidquid ejus est, cupiebam haec mea ab illo legi in communem rei criticae utilitatem: verum & his votis Wetstenio mortuo excidi. Sperabam, si mittere librum Quirino potuissem, impetraturum me per doctissimum & humanissimum Purpuratum, ut certius quid de codicibus Philoxenianae versionis passim in Italia servatis rescirem; sed dum cunctor, morte optimi senis, cujus immortale eruditis nomen erit quidquid etiam in ipso carpant, occupor.

Quam mihi ergo jucundum esse censes, Pater, quod alios jam lectores votis expetitos desiderans, TE tamen habiturus adhuc sim meae scriptionis arbitrum, cui illam vel primo destinaveram, septuaginta & quinque annis majorem! Quam in hac mea laetitia justum, TIBI me Patri, TIBI in his literis praeceptori, TIBI de cujus controversia quid sentiam exposui, TIBI, cujus inventis & usus sum & addere studui, TIBI ex optatis speratisque lectoribus soli reliquis superstiti, quo me vivo perfrui adhuc posse impense gaudeo, haec qualiacunque dicare. Voveo eidem TIBI non festinandas nimis in Syriacum Marci evangelium curas, modo TU moras nectentem filium non destituas, sed plures adhuc per annos, jubente Deo, vegetam nobiscum senectutem agas.

Sunt

Sunt autem in libro TIBI oblato, quae non TIBI solum, sed & aequis lectoribus, excusari posse & cupio & confido. Non opus est, ut TIBI demonstrem, quam molestus labor fuerit, cum quanto fastidio, atque etiam oculorum detrimento conjunctus, singulas sententias graecas, ne quidem neglecto verborum ordine, cum Syriacis conferre, ne qua mihi lectionis diversitas periret, atque idemtidem ad Millii Wetsteniique recurrere compilationem, ut inquirerem, utrum ab illis jam indicata esset, an omissa, lectio quam inveneram, & ecqui codices graeci cum illa facerent. Adde, Wetsteniana legenti, semper pene ex margine textus ad prolegomena recurrendum fuisse, ut scirem, quos codices numeris his illis designasset: memoria enim id tenere non datum, quibus haec facultas mentis mediocris aut bona est, sed quibus unica mirifice viget. Nullam haec omnia, quae facienda mihi fuisse dixi, habent ingenii laudem, nullam eruditionis, quam prae se ferre inverecundum est; sed solam aliquam tristis diligentiae ingloriam significationem, quam si de me praedicarem, atque etiam profiterer, me sperare, lectoribus eam gratam fore, quibus molesti dat laboris vacationem, nihil ea res habitura esset ostentationis. Equidem si meo labore eruditorum de Syriacae versionis indole, deque variis lectionibus N. T. anquirentium, molestiam levo, hanc solam ab illis gratiam, a TE benevolentiam & amorem peto, ut naevis, qui non potuerunt a me vitari, ignoscatis. Non certe miraberis, in abrupto commentandi genere, cum ad vocem quamlibet evolvendi libri essent, haud potuisse me linguae Latinae commoditati studere, perpetuaeque orationis habere fructum: sed omnia potius ita abrupte atque horride dicta esse, ut me nonnunquam scriptionis poenituerit. Lapsus ope-

operarum, quos satis jam multos video, ne ipse quidem emendandos suscepi, nisi quod semel fugiente ac pene reformidante oculo schedas ab alio emendatas lustrarem: plus enim, nimis aliis distentus, praestare non poteram. Faciles correctu erunt plerique errores, sive potius manifesta vitia statim se prodentia: estque alia eorum ratio, quam errorum quos ultimo capite in Wetstenii Novo Testamento accusavi, curatiora omnia promittentis, qui in numeris, codices designantibus, inque signis variarum lectionum commissi, ita latent, ut nisi semper ad manus sit Millius, exque eo Wetsteniana sphalmata emendentur, incautos fallant lectores. Non opus erat hac excusatione, nisi veritus essem, ne quis criminaretur, de erroribus typographicis in Wetsteniano apparatu conqueri, qui in ejusdem culpae societate versetur. Rudes & horridi literarum Arabicarum ductus ne molestiam tibi inter legendum creent, vereor: sed in promtu est defensio. Typis adhuc destituimur Arabicis, quorum loco literas ligno insculpsit typographus, rudi nonnunquam Minerva, aliquando etiam rudiore, quam primum, si quid correxissem. Malui vero, pingui artificio vocabula quomodocunque exprimi, quam omnino omitti: Arabicae enim linguae periti, haud quidem sine fastidio, legent tamen & intelligent. Aliqua etiam mea culpa: qui enim ne in Latinis quidem Germanicisque calligraphus sum, Arabicaque libentius lego quam pingo, non optimos ductus typographo praeivi.

His quidem, quos ingenue fateor, naevis, non adnumerabis, quod in libro jam ante biennium fere typis descripti, atque ante tres annos a me elaborari coepto, de Bengelio tanquam vivo adhuc sub initium loquor, & quod alia, quae

quae scripseram, mutare nolui, sed siquid addendum esset, margini subjeci. De singulis lectionibus quod non judicavi, vitio mihi haud vertendum esse ultro intelliges. Ex sola Syriaca versione sententia ferri de lectione graeci codicis non debet: hujus autem excerpta cum darem, nolui ad aliena dilabi. Satis multi erunt, qui sibi judicare permittent, pauci volent colligere, quae judicaturo utilia esse possunt. Ex his esse statueram, sperabamque eo gratiora fore aliis, quae sive ex versione Syriaca excerpebam, sive de ejus indole & cognationibus prodebam, si de singulis lectionibus ipsis optio integra, nulloque delibata praejudicio, maneret.

Haec TU facile probabis, excusabisque quae vitiosa esse fassus sum: alii si rigidi censores esse velint, peto, ut laborem meum seponant, ipsique sibi excerpta critica ex versione Syriaca colligant. Aequissime id feram, cum non laudem mihi ullam, ad quam alia via adspirandum est, sed aliis utilitatem, ingratique laboris vacationem quaesiverim. TIBI autem gratiorem spero libellum fore, si munusculum aliquod adjecero.

Cum essent, qui suspicarentur, nos omnino versionem antiquam Syriacam non habere, sed recentiorem, sive Philoxenianam, sive Heracleensem, verissime TU docuisti in commentatione de variis lectionibus N. T. colligendis, falsam hanc suspicionem esse: idemque in introductione ad tabulas novi foederis ego & docui, & TUIS meisque confirmavi argumentis. Quae sententia si non poterat non videri verissimillima, magis deinde confirmata est, postquam & Wetstenius versionem Philoxenianam ex codice Ridley-

ano

ano contulit, atque a nostra, quam typis descriptam legimus, invenit diversissimam, & ipse pag. 97. fasciculi III. relationum de libris novis particulam versionis Heracleensis, ex Romano codice excerptam, cum nostra Syriaca comparavi. Gratulor & TIBI, & mihi, comprobatam atque exploratae jam veritatis, quam antea verisimilem defendimus, sententiam: quo TIBI jucundius fore arbitror, plusculum de Philoxeniana versione certi habere.

Possidet, quod jam ex Wetstenianis prolegomenis innotuit, codicem ejus praestantissimum, perantiqua variarum lectionum compilatione instructum, Glocestrius Ridley; vir eximia humanitate atque comitate, ut vel mihi homini antea ignotissimo, sed cujus petitiones Reverendissimus episcopus Norvicensis ipsi commendaverat, iter in Britanniam amicissima invitatione anno 1753. suaderet, liberum codicis usum, hospitiumque offerens. Non potui illo bono frui, negotiis distentus, a quibus tam diuturna non datur vacatio. Ostendit ergo, se paratum esse, ad quaestiones respondere, si quas illo de codice proponerem. Ausus sum de nonnullis percontari: en quid & responderit, & ultro scripserit.

Primis literis, Calendis Majis anni 1753. datis, docet me, *hanc versionem matrem graecam tam presse sequi, ut verba ipsa & verborum structuram oculis subjiciat, quod in versione simplici, quae paraphrasi similior sit, secus accidat.* Narrabat iisdem literis, sibi & simplicis versionis codicem esse, de quo ita: *ut magis te accendam, & ad diversiolum meum alliciam, copiosiorem tibi parabo supellectilem. Est enim in manibus alter codex manuscriptus, pervetustus, charactere*

Estron-

Estrongelo exaratus. Membranaceus est, at lacerus, & tineis exesus in prioribus quibusdam paginis. In evangeliis Heracleensem *exhibet versionem, in Actibus apostolicis epistolisque,* Simplicem. *Exemplar, utut vetulum, virgineum tamen, & ipsius decantatissimi inter Syros Barsalibaei cura olim emendatum. Hujus ope codicis corrigi possunt lectiones in omnibus impressis aut parum Syriace prolatae, aut quae sensum turbant.*

Prioris generis est vox illa, 1 Petr. III, 3. omnem respuens analogiam grammaticam, ܬܬܓܒܠܢ. *At in Barsalibaeo legitur* ܬܬܓܒܠܢ̈.

Ex iis, quae sensum turbant, pauca seligam specimina ex actibus apostolicis, ut tuis inserviam usibus. Act. XVI, 21. editiones (excipiendam tamen moneo Schaafianam) *legunt* ܥܝܕܐ *in singulari numero: at Barsalibaeus* ܥܝ̈ܕܐ *in plurali, ut congruat cum sequente* ܐܝܠܝܢ. *Act. XVII, 23. omnes editiones habent,* ܥܠܬܐ, *quae est* caussa, *vel* occasio: *Barsalibaeus autem ad tollendam ambiguitatem veteres graecas vocales appingit,* ܥܠܬܐ, ara. *Act. XVIII, 27. omnes editiones legunt* ܢܣܒܘܗܝ rapuerunt: *Barsalibaeus recte* ܦܝܣܘܗܝ hortati sunt. (Memineris, Pater optime, me hanc Ridleyanam lectionem pagina 77. ut & alias suo loco adferre.) *Act. XXIV, 3. omnes editiones habent* ܣܓܝܐܬܐ ܕܫ̈ܢܝܐ multis annis; *at Barsalibaeus cum Coloniensi MS. reponit literas transpositas, & legit sine punctis pluralibus* ܕܫܝܢܐ pacis. *Et ne te pluribus teneam, ejusdem capitis commate 18. pleraeque editiones habent:* [illegible]

Crux editoribus. At Lud. de Dieu criticae artis subsidio nibil inesse difficultatis videt in legendo, IPSAE, pro QUIDAM. Vult esse pronomen faemininum accusativi casus, locum neutrius, quo carent Syri, supplens, & verbis, non cum turba & tumultu, *praecedentibus recte respondens; quasi esset sensus,* non cum turba & tumultu, nisi quod excitarunt EA Judaei. *Boderianum insuper lacessit, qui, ut hanc incommodam lectionem emendaret, ausus erat in Parisiensi scribere* אנשים. *Eodem tamen modo legere ausus Barsalibaeus, ex cujus codice restituendum discimus* ܐܢܫܝܢ.

Deinde cum primas commentationis meae schedas misissem, cupiensque scire, num in lectionibus quibusdam singularibus, circumloquutionibusque audacioribus Philoxeniana versio cum Simplice faceret: haec respondit mense Majo anni praeteriti: *priusquam ad singula commata conferenda me accingam, hoc scire te velim, versionem Philoxenianam graecos codices plerumque presse sequi, etiam in idiomate & verborum collocatione. Lectiones vero varias, quae in actibus apost. paginam ferme obruunt, mire cum codice Cantabrigiensi concinere: alterum codicem, qui versionem simplicem exhibet, editos codices fere in omnibus confirmare. Priorem igitur ad tuas quaestiones graece reddam, simplicem reticens, nisi aliquid notandum videro.*

(*) *Cap. I, 2. Philox.* ἄχρι ἧς ἡμέρας, ἐντειλάμενος, τοῖς ἀποστόλοις οὓς ἐξελέξατο διὰ πνεύματος ἁγίου (†), ἀνελήφθη.

in

(*) Vide curas meas p. 1. 2. ex quibus intelligetur, ad quam respondeatur quaestionem.

in margine. † ἀνελήφθη, ἐντειλάμενος τοῖς ἀποστόλοις οὓς ἐξελέξατο διὰ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἐκέλευσε κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον.

Simplex eandem profert lectionem ac codices editi. [illegible]

(*) *Cap. II, 24. Philox.* ܚܒܠܐ ܕܡܘܬܐ + *in margine* + ωδινες *graece scriptum. Simplex cum editis.*

(**) *Cap. VIII, 27. Philox.* ܐܝܬܝܘܦܘܣ ܟܘܫܝܐ + *in margine, graece,* αιθιοψ.

(***) *Cap. XVIII, 5. 6. Philox.* ὡς δὲ κατῆλθον ἀπὸ τῆς μακεδονίας ὅ τε σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος, συνείχετο τῷ λόγῳ ὁ παῦλος, διαμαρτυρόμενος τοῖς ἰουδαίοις τὸν ἰησοῦν εἶναι χριστόν. †

Ultimae voces sunt: + [illegible] *in margine:* + πνεύματι *Syriace scriptum.* >. *Significant vocem inter has notas inclusam in quibusdam codicibus deesse.* + *Supra vocem denotat, pro* ܐܝܬܘܗܝ *in nonnullis legi* ܗܘܐ. (†) *Nota finalis* + *refert ad marginem, ubi haec clausula legitur:* πολλοῦ δὲ λόγου γενομένου, καὶ γραφῶν διερμηνευομένων.

Simplex, ut editi.

(*) Vide p. 2. 3.

(**) Vide p. 4.

(***) Cupiebam scire singularine lectioni Simplicis versionis p. 4. 5. 6. expositae contineret in omnibus Philoxeniana, sive ejus margo: quia suspicabar, non eam lectionem antiquam esse, sed ex margine Philoxenianae textui Simplicis illatam. Verum non confirmatur suspicio, estque illa lectio, prorsus unica & singularis, veteris Syriacae Simplicis.

(†) Volebat fortasse scribere ܗܘܘ ut & in Simplice.

(*) *Cap. XIX, 39. Philox.* ܦܠܓܐ ܕܡܥܣܬܐ.
In margine: ܡܟܝܫܐ ܡܘܣܪܘܢ.

(**) *XXII, 9. Philox. ut Graeci: Simplex ut editi.*
XXIII, 26. Philox. ܐܢܣܝܐ.
XXIV, 5. Philox. ܡܫܓܫܢܐ.
XXVII, 30. In Philoxeniana nulla inseritur explicatio, sed legitur ut in Graecis. Simplex, ut editi.

Haec ad tuas quaestiones sufficient. Contuli insuper commata in §. II. notata ad paginam 14.

Cap. III, 1. Phil. ut Graeci.
12. Phil. ut Graeci, cum εὐσεβείᾳ *graece in margine.*
VI, 14. XI, 11. Philox. ut Graeci.
XI, 12. Philox. ܐܝܟ ܕܟܠܗܘܢ.
XII, 10. Eadem lectio in utroque codice, nisi quod in Philox. legitur, ܘܐܙܠܬܐ.
XII, 13. Concinunt Philox. & Simplex. At, ni fallor, ܚܢܢܐ *est* ὑπακοῦσαι, *ut 2 Cor. VI, 2. in simplice: etsi in isto loco Philox. habet* ܫܡܥܐ.
15. Phil. ut Graeci.

(*) *24. Phil. ut Graeci. In Simplici vero* ܢܨܚܐ *est* ηὔξανε, *non ut tu putas* ἐπληθύνετο. *Interpretatus enim est auctor versionis recentioris* ηὔξανε *per* ܢܨܚܐ.
XIII, 42. Desunt in Phil. ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν ἰουδαίων ... τὰ ἔθνη. *Simplex cum editis. At cum dicis,* "uterque
"legit

(*). Vide p. 7.
(**) p. 8.

"legit cum latinizantibus &c. ἐξιόντων δὲ αὐτῶν" *interpretatio Simplicis est, ut mihi videtur,* ἐξιόντων δὲ ἐξ αὐτῶν. (Recte monuit.)

48. *Phil. concinit cum Simplici & Aethiope sine ulla varia lectione margini adscripta, quasi omnia exemplaria, eaque accuratissima, tum Syra, tum Graeca, quibuscum hanc versionem contulit Heracleensis, omnino consensissent.*

Interpellabo hic paullisper optimum atque eruditissimum virum, ejusque hoc observato utar. Putabat Wetstenius, lectiones marginis codicis Ridleyani ex ipsis codicibus, quos adhuc habemus, *Alexandrino, Ephremi, Cantabrigiensi & Stephani* η, excerptas esse. Nunquam ea conjectura nimis audaci delectatus sum: hic autem inveni, quod & opponere ei possim. Ipse enim Wetstenius docet, Cantabr. habere λόγον τοῦ θεοῦ; quod si ergo hujus excerpta codicis in margine Ridleyani exempli legerentur, debuisset hoc loco varia lectio margini adscribi. Confirmabit hanc sententiam, quae ad XIV, 2. dat Ridleyus. Sed pergamus frui humanissimi Ridleyi tanquam colloquio; illique, codicis sui excerpta promenti, operam demus.

XIV, 2. *Philox.* ἐπήγειραν διωγμὸν καὶ ἐκάκωσαν.
In margine pene ut Cantabr. οἱ δὲ ἀρχισυνάγωγοι τῶν ἰουδαίων καὶ οἱ ἄρχοντες (τῆς συναγωγῆς *Cantabr.*) ἐπήγειραν ([illegible] *in textu:* ἐπήγαγον *Cant.*) (αὐτοῖς *Cant.*) διωγμὸν (κατὰ τῶν δικαίων *Cant.*) καὶ ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν. Ὁ δὲ Κύριος ἔδωκε ταχὺ εἰρήνην.
Simplex ut editi: nisi quod pro [illegible] *errore scribae sit* [illegible].

XV, 20. Phil. [illegible] *in margine,* ἀλισγήματα. *Graece. Reliqua ut in graecis.*

Simpl.

Simpl. ut in editis, nisi quod iterum scribae lapsus pro [illegible] *ponit* [illegible].

XV, 35. 36. 38. XVI, 29. XVII, 15. 20. XVIII, 9. 21. Phil. ut Graeci.


XVIII, 19. *Phil.* κατήντησε δὲ εἰς Ἔφεσον τῷ ἐπιόντι σαββάτῳ, κἀκείνους κατέλιπεν αὐτοῦ.

XX, 28. *Phil.* θεοῦ: *in margine* κυρίου *Syriace scripsit.*


Quid jam TIBI, Pater, de illo antiquo codice videtur? quam exspectas praeclara ejus excerpta, si vir officiosissimus & diligentissimus paragraphum VI. meae commentationis similibus ex suo codice, sive adeo codicibus, illustrare excerptis dignetur? Sic enim patebit, sine dubio, saepe id accidisse, quod primum suspicatus sum, deinde etiam aliquoties factum invenisse mihi videor, ut sive ex versione Philoxeniana, sive ex ejus margine aliqua lectio in veterem simplicem intraret. Hunc, mihi virum in exoptatissimis esse lectoribus, quippe cujus excerptis & observatis mea aut confirmari maxime, aut emendari, atque, utcunque accidat, ad communem ecclesiae utilitatem perfici magis possunt, non mirabere. Utinam, quod ab illo publico nomine sub finem meae commentationis petii, aut integrum codicem, aut certe ejus particulam typis evulgare possit! quam id eruditis lectoribus Novi Testamenti gratum, quam non Britanniae solum, sed & universis ecclesiis repurgatis honorificum erit! Quapropter si quis est, cui commodam & prosperam fortunam, multosque adhuc annos, cui Maecenates, beatumque per illos & honestum otium precor, Ridleyo haec optaverim, ut curis aliis non distentus, vel senex perficere possit, quae (ut mihi scribit) ante illum aetatis flexum meditabatur.

TU vero, Pater, quem non sine voluptate legisse narrata ex Ridleyi literis, nec antequam perlegeres ex manu seposuisse, certum habeo; diu adhuc viridi & placida senectute frui, eruditioni & ecclesiae prodesse, rem criticam perficere, absentemque filium paterna complecti perge pietate atque indulgentia. Dabam Goettingae die XX. Martii 1755.





§. I.



Aliqua ex versione Syriaca Actuum apostolicorum in usum illorum delibaturo, qui sacris literis amorem studiumque suum addixerunt, primum excerpendae mihi sunt interpretationes graeci textus, commentatoribus nostris aut ignotae omnino aut minus tritae, aut quibus aliquid ponderis addere ipsa antiquissimae versionis auctoritas visa fuerit. Nec tamen his omnibus calculum adjicere existimari volo, sed flores quasi aliquos lectoribus demonstrare, quos carpant ipsi si delectent, sin minus existimaverint salubres, satis habeant oculis usurpasse. *Interpretationes graeci textus a Syro proditae, notatu digniores.*

Act. I, 2. Verba, *διὰ πνεύματος ἁγίου*, quae plerique ad *ἐντειλάμενος* referunt, construxit Syrus cum ἐξελέξατο, *quos* (apostolos) *elegerat per spiritum sanctum.* Relata jam a B. Wolfio sententia, licet ei displiceat. Ex mente Syri interpretis hoc dicit Lucas: Christum non ex sua voluntate apostolos legisse, sed ex nutu Patris, qui per spiritum sanctum tanto munere dignos candi-

datos Filio demonstraverit. Certe Matth. XX, 23. Iesus negat, primum in regno Dei locum se aliis daturum, nisi quibus a Patre paratus sit: idemque post nocturnas preces apostolos legerat Luc. VI, 12. 13.

8. *ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος.*] Plerique hunc gignendi casum a praecedente *δύναμιν* pendere putant, ut *virtus spiritus sancti* apostolis promittatur: at noster vertit, *superveniente vobis spiritu sancto.* Verba ejus sunt: *cum venerit super vos spiritus sanctus, accipietis virtutem*, seu miraculorum patrandorum potestatem. Vera haec videtur interpretatio: si enim cum *δύναμιν* construi haec voluisset Lucas, ita scripturus videtur, *δύναμιν τοῦ ἐπελθόντος ἐφ' ὑμᾶς ἁγίου πνεύματος.*

II, 24. Vagae sunt interpretum sententiae in reddendis his, *λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου.* Diversam ab omnibus viam ingressus noster, incertum linguae ingenio? quae ei vocabulum ab ipso Petro adhibitum oblatura sponte erat, si vel Lucam minus recte intellexisset, an consilio? Quidquid sit, vertit: *solvit vincula sepulcri* ܘܫܪܐ ܚܒܠܝܗ̈ ܕܫܝܘܠ repetens phrasin ex 2. Sam. XXII, 6. & Ps. XVIII, 6. ubi חבלי שאול *funes sepulcri* atque *tendiculae mortis* occupasse atque obsedisse gressus Davidis dicuntur. Nec vero vincula sepulcri fasciae sunt sepulcrales, quod STEPHANUS *le* MOYNE voluit, jure a WOLFIO reprehensus: sed sepulcrum carceri comparatur, in quo vincti jaceant mortui. Sententia haec erit: *fecit Deus, ut liber ex sepulcro tanquam ex carcere prodiret.* Mihi vero haec explicatio mirifice blanditur, & vel hoc nomine vera videtur, quod dubitari nequit, quin Graecum *ὠδῖνας*

Hebrai-

Hebraico חבלים respondeat. Nam חבלי שאל ab Alexandrinis in psalmo XVIII redditur *ὠδῖνες ᾅδου*, & in posteriore Samuelis libro *ὠδῖνες θανάτου.* Quodsi ergo Petrus, Hebraice sive adeo Chaldaice ad Hierosolymitanos verba faciens, vocabulo חבלא usus est, illud sive funes sive dolorem significaret, a Luca vertendum *ὠδῖνες* erat, praeeuntibus LXX quos dicunt interpretibus; hos enim imitari solent sacri scriptores, atque horum auctoritate *ὠδῖνες* per Hebraismum etiam funes designant. (*) Hoc vero loco doloresne an funes significet, ex reliqua oratione existimandum est, praecipue ex illis quae sequuntur: *siquidem fieri non poterat, ut ab illa* TENERETUR. Teneri & solvi magis proprie a fune dicimur, quam a dolore. Hoc unum addo, Arabem Erpenianum, qui tabulas novi foederis non Graecas sed Syriacas Arabice interpretabatur, Syriaci vocabuli ambiguitate deceptum reddidisse, *solvit dolorem gehennae.*

Cap. II, 42. III, 17. 21. habet nonnulla Syrus, propinanda lectoribus meis, nisi jam a WOLFIO in curis id factum esset. Addo, Syrum illis praeivisse, qui initium versus 21. verterunt, *quem oportet ut caelum capiat eum*, seu, ut caelo capiatur.

Cap. V, 37. *ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς* paraphrastice reddit Syrus, *in diebus, quibus scribebantur homines ob argentum capitis.* Argumento hoc est, *ἀπογραφὰς* seu familiarum descriptiones in Palaestina ad tributum exigendum fieri consuevisse. Est

(*) Conjunxerunt fere orientales ligandi & dolendi significationem. Sic ab אלם *ligare* Arabibus est אלים *dolorificus*, ejusdemque generis multa colligi possent, si hic locus esset. Nempe *dolere* illis tanquam est *funibus torqueri.*

haec non quidem nova sententia, quam tamen suffragio antiquissimi interpretis & Palaestinae vicini confirmare juvat.

Cap. VIII, 27. Aliquid hic erroris Beato Wolfio obrepsit a nobis indicandum. Graecum εὐνοῦχος vertit Syrus ܡܗܝܡܢܐ, quod vocabulum ex etymo suo *fidelem*, seu *cui aliquid credi potest*, significat. Hic ergo Wolfius, alios etiam sibi consentientes excitans, putat *Syrum vertisse πιστὸν, fidum, ut proinde ab officio, quo fungebatur, non a corporis vitio appelletur.* At vocabulum ܡܗܝܡܢܐ sine dubio *castratos* designat, a fidelitate quae in illis eximia esse putabatur atque a fide illis habita dictos; quod ex Syriaca versione Matth. XIX, 12. liquet. Arabs etiam Erpenianus, Syriaci textus non Graeci interpres, perque omnem hunc versum Syrum pressis vestigiis sequens, Syriacum ܡܗܝܡܢܐ vertit خصيّ *eunuchus*, a verbo חצי *castravit.*

Cap. XIII, 12. ἐπίστευσεν ἐκπλησσόμενος ἐπὶ τῇ διδαχῇ τοῦ Κυρίου] Solus, quod sciam, Syrus verba ἐπὶ τῇ διδαχῇ construxit, non ut fieri plerumque solet cum ἐκπλησσόμενος, sed cum ἐπίστευσεν, *obstupefactus est, & credidit in doctrinam domini.* Non sane spernenda explicatio: nec enim doctrina domini, sed miraculo obstupefactus erat, ut adeo commode verba Lucae ita intelligi possint: *credidit, obstupefactus miraculo, in doctrinam domini,*

Cap. XVIII, 5. 6. Non quidem interpretatio est, quam exhibebo, sed alia lectio a Syro expressa: quae tamen cum valde sententiam immutet, hoc loco commemoranda & explicanda videtur. Sic quidem ille pericopam hanc & legit & exposuit: *cum autem*

venis-

venissent ex Macedonia Silas & Timotheus, premebatur Paulus verbo, propterea quod resistebant ei Judaei & blasphemabant, cum ipse testaretur illis, quod Jesus esset Christus. Non jam lectionis a vulgari graeca valde diversae auctoritates conquiro, quae ex Millio peti possunt, neque spernendae, nec tamen rem conficientes neque inclinantes, cum ea codicum interpretumque classis, quae cum latina Vulgata facere solet, Syriacae versioni hic, ut saepe alias, consentiat. Ut quidem Syrus verba graeca legit, haec eorum sententia est: Paulum non quidem disputando victum, convicio tamen ac facundo Judaeorum clamore valde jactatum & fere oppressum esse, cum ipse minime clamosus esset disputator. Fateor, haec optime congruere secundo capiti primae epistolae ad Corinthios, illudque magnifice illustratum, sine ullo Pauli dedecore esse, si lectio a Syro expressa vera habeatur: certe ex ipsa epistola colligi posse videtur, nisi id ipsum quod Syriaci actus apostolorum narrant, simile tamen quid Corinthi accidisse. Saepe excusat Paulus, nullam se in praedicando evangelio neque adhibuisse neque adhibere voluisse σοφίαν λόγου, quo nomine neque philosophiam intelligo, neque veram eloquentiam, qua Paulum valuisse crediderim ex epistolis conjecturam de oratore faciens, paucasque illas orationes, quae actibus apostolicis continentur attente legens, sed artem aliquam sophisticam dicendi, qualem ex Graecis non paucos affectasse constat. Lege 1 Cor. I, 17. II, 1. 4. 5. His adjungit timorem atque tremorem, quo inter illos versatus fuerit cum evangelium praedicaret, 1 Cor. II, 3. neque defuisse docet, qui sibi nimiam in dicendo modestiam tanquam obnoxium exprobrarent timorem, ne vocis quidem submissam exilitatem, quae sive modestiae fuit sive naturae laterumque minus fortium, sine reprehensione dimittentes. 2 Cor. X, 1. 10.

His neque adcusationibus neque excusationibus locus in Paulo erat, & Graece docto, neque incommode Graeca lingua in his orationibus utente quas Athenis & coram procuratoribus Romanis habuit, & apte ad commovendos affectus dicente, & acuto acerrimoque per omnes epistolas quas nobis reliquit disputatore, bonoque logico, nisi convicio sophisticoque clamore aliquando Corinthi jactatus ab his esset, qui solis ipsum lateribus superabant, boatuque disputantium perterritus expalluisset.

Sine ullo Pauli reique christianae dedecore haec ita & accidere Corinthi, & a Luca narrari potuisse, supra monebam. Neque enim turpe est, clamore vinci & blasphemiis, quo quidem in genere eloquentem esse hominem recte informatum minime decet; neque laterum robore veritas aestimatur. Sit ergo, Paulum & expavisse, & respondere clamori non potuisse, cum convicia in ipsum doctrinamque Christi undique jactarentur, ne bonus quidem orator esse desinet. In Luca autem candor historicus laudandus, atque bene de reliquis quae narrat ominandum erit, si ea scripsit, quae Syriaca versio habet, neque silentio texit, quae vulgo minus honorifica videri poterant. Atque haud scio, an evangelium etiam confirmetur magis, si in ea ipsa urbe clamori adversariorum cedere coactus est, in qua magnum populum ad Christum traduxit, omnesque adversarios sensim ita vicit, ut verus a tota Corinthiorum ecclesia apostolus haberetur. In graeca enim urbe, sophisticarum artium atque non verae potius eloquentiae quam graeculae loquacitatis admiratrice eximiam fuisse oportet eam spiritus miraculorumque demonstrationem, qua Paulus publico sophistarum clamore jactatus tamen populo persuasit vera a se praedicari.

Ex

Ex hoc evangelio quae exstitit fides, humanis artibus non effecta, eam divinam fuisse, verisque miraculis a Paulo editis ecclesiam ad credendum coactam oportet. 1 Cor. II, 4. 5.

De lectione nihil affirmo, satis habens, eam explicasse, quam Syrus expressit. Hoc tamen pro ea dici posse arbitror: si talis semper fuisset textus graecus, qualis nunc in editionibus est, vix videri, librarios sive casu sive consilio ea scripturos fuisse, quae Syrus cum aliis codicibus & versionibus habet; at si lectio Syri vera & antiqua sit, non defuturos fuisse nimis providos homines, qui veriti ne Paulus inferior ex certamine discessisse videretur verba mutarent, inque sententiam minus sibi suspectam deflecterent.

Cap. XIX, 39. ἐκκλησίαν non de ipso conventu, sed de loco conventus intellexit Syrus. Equidem graecorum verborum hanc mentem esse existimo: *si quid aliud vultis, quod non ad judicem spectat, sed suffragiis civium conficiendum est, justa fiat ecclesiae congregatio.* Erat autem, quod ex PLINIO intelligitur, (*) *ecclesia* in Asia minore conventus plebis, sive adeo eorum, qui plebis nomine convenerant, senatui opposita. At Syrus: *in loco, qui datus est a lege ad congregationem:* qua certe antiquissimi interpretis auctoritate constare videtur, & loci nomen ecclesiam fuisse.

Cap.

(*) Lib. X. ep. 111. *& bule & ecclesia consentiente.* Forte illa ab evocando dicta, quod in consilium vocaretur. Sic & plerumque LXX eodem vocabulo utuntur, quibus ἐκκλησία dici solent, qui populi totius personam sustinentes ad Mosen convocari solebant.

Cap. XXII, 3. *eruditus κατὰ ἀκρίβειαν legis patriae* Syro est, *eruditus in lege patria* ܓܡܝܪܐܝܬ *perfecte.* Observo hanc solam ob rationem, quod Syrus Gemaram in mente habuisse videri possit, non scriptam illam quidem, quam nos in Thalmude legimus, sed ore ac traditione propagatam, ut sensus sit: in lege patria non scripta solum, sed & Gemarice, atque secundum traditiones magistrorum, quae illam perficere creduntur, eruditus sum. Cum graecis quidem haec explicatio satis bene conciliari posset: sed nihil definio, neque haec scripsi, quod Syrum ita intelligendum esse mihi certo persuadeam, sed ne neglexisse interpretationem videar, quam aliquos scire juvet, eruditius & copiosius de ea sententiam dicturos.

De Cap. XXIII, 26. & XXIV, 5. ubi *κράτιστος generosus* Syro est, atque *λοιμὸς praedo*, infra mihi §. IV. dicendi locus erit.

Cap. XXVII, 30. Quo consilio ex prora projici anchorae possint, hac paraphrasi explicat Syrus: *ut navem terrae alligarent.*

§. II.

Arabica versio ab Erpenio edita filia Syriacae lectionibus arguitur.

Ex Syriaca eam manasse Arabicam versionem τοῦ ἀποστολικοῦ, seu epistolarum atque actuum apostolicorum, quam ERPENIUS Leidae anno 1616. typis describi fecit, inter eos constat, qui utramque legere possunt. Ipse ERPENIUS in praefatione fatetur, *illam Syro contextui quam Graeco plerisque in locis esse viciniorem:* idque Pater meus, atque in critica sacra praeceptor, CHRISTIANUS BENEDICTUS MICHAELIS in *tractatione critica de variis lectionibus N. T.* §. 74. exemplis confirmavit. His quidem auctorita-

ritatibus uti mihi liceret, nisi tot dissidia matris filiaeque mihi deinceps exponenda essent, ut verear ne nimis jam pauca videri exempla a Patre meo allata possint, novisque opus sit argumentis, quibus lectori sententiam a Patre acceptam persuadeam, Arabicam illam versionem non ex Graeco contextu sed ex Syriaco factam esse. Haec autem dissidia unde nata sint, paragrapho V. explicabo. Est & alia non minus gravis ratio, quae me cogit laborem suscipere nimis curiosum tenuemque, nec fere mataeotechniae culpa liberandum, nisi ejus mihi necessitatem imponi intelligerem. Nempe fatendum mihi est, fatebunturque omnes perlecto paragrapho VI, non eodem ubivis filo Arabicam versionem decurrere, cujus aliquas lacinias a Syriaca alienissimas, librarius ex versione Arabica Copticae versionis sumsit, si quando exemplum describendum hiaret, alias pericopas ex versione Arabica Coptici vel etiam Graeci Novi Testamenti large interpolavit. Quod cum ita sit, criticus esse usus Arabicae versionis in Syriaca versione castiganda explicandave nullus esse poterit, nisi & constet, eam ipsam pericopam de qua disputatur ex Syriaco Novo Testamento Arabice versam esse. Quod ut ipsi arbitrari lectores possint, omnia adscribam loca in quibus vestigia versionis Syriacae impressa deprehendi: sic sua sponte apparebit, eas lacinias, quae parum cum Syriaca multum cum Coptica concinunt ex hac assutas, illas autem, quae Syriaci textus fere ubivis tenacissimae sunt, ex eo factas esse. Nec tamen adeo mea amo, ut hac excusatione plurimis lectorum gratam fore meam in exilibus lectionibus conquirendis diligentiam arbitrer: erunt tamen aliqui, qui de lectionibus his illis dubitantes evolvent quae scribo, quos nollem frustra me interrogare. Legent

Benge-

Bengelii, (*) quos si unicos habeat lectores in sterili aliquo (ut videtur) paragrapho criticus, aeque gaudebit atque ille apud Ciceronem poëta, cui carmina recitanti solus assidebat auditor sufficiebatque Plato.

Est autem argumento ingens utriusque versionis & in lectionibus concentus & in interpretationibus. Illas ex §. VII. hauriat lector, in omnibus enim lectionibus quas ibi excerpam a Millio neglectas, semper congruere Arabica Syriacae existimanda est, nisi eas discordes esse disertis verbis tradam. Atque hoc quod dixi ad eas quoque lectiones a Syro expressas pertinet, quas MILLIUS indicavit, a quibus quoties dissidere Arabicam versionem intellexi, lectorem id docui. Aliquas tamen lectiones hic excerpam, quae exemplo esse possint, reliquas ex paragrapho VII petendas capitum versuumque numero indicabo. Cap. III, 1. uterque praemittit *ἐγένετο δὲ*, quae lectio cum omnino singularis sit, nec ullius sive codicis sive versionis (**) suffragium ferat, fortius etiam evincit,

(*) Ita scripseram anno superiore, Beato Bengelio ad hanc me scriptionem benevole per communes amicos hortante. Dulci autem me spe dejecit tanti viri mors, hac tamen relicta, alios fore Bengelii similes quibus haec tenuia munera non sordeant. Nolui certe viri post fata etiam venerandi nomen delere, proque illo *artis criticae sacrae peritos*, mutato tantum vocabulo ponere.

(**) Nullum codicem interpretemque cum dico, semper intelligendus sum de his codicibus & interpretibus qui excussi lectionesque ex illis excerptae sunt. Non opus erat ut hoc prudentes lectores monerem, verum cavillationibus calumniisque verborum obviam ire volui: cum vel nuper WAGNERUM quendam theologiae candidatum (sic enim nomini suo subjecit,) male habuerit, quod in introductione in tabulas novi foederis p. 618. scripseram, *dictum de tribus testibus 1 Joh. V, 7. in nullo graeco codice inveniri ante XVI seculum scripto.* Jubet me ille probare, non,

evincit, Arabem non ex Graeca veritate sed ex textu Syriaco novum testamentum vertisse. Versu 12. uterque pro ἐυσέβεια expressit ἐξουσία, quae lectio in sola vulgata latina atque in Velesiana compilatione comparet. VI, 14. uterque pro ἡμῖν legit ὑμῖν, quae lectio omnino singularis est. XI, 11. uterque in manifesto errore consentit, nulla enim alia auctoritate pro ἐπὶ τὴν οἰκίαν expressit, ἐπὶ τὸν πυλῶνα, quod huc ex c. X, 17. translatum est. XI, 12. uterque pro συνελθεῖν habet σύνελθε, uno consentiente Aug. 6. quem licet his suffragiis non munitum excitavit Vir Summus, BENGELIUS. Video tamen & Coptum concinere, ex versione certe WILKINSII. XII, 10. uterque pro διελθόντες τὴν πρώτην φυλακὴν habet, *cum transiisset prima custodia?* an, *vigilia?* nec enim assequor quid sibi velit, qui dicat, custodiam transire, ut fere credam, de vigilia elapsa vocabulum Syriacum Arabicumque accipiendum esse. XII, 13. pro ὑπακοῦσαι, *auscultare*, uterque habet, *ut responderet ei*, quod tamen utrum aliam lectionem arguat, an audax sit interpretatio, alii viderint: certe singulare

 est.

non, hoc dictum in nullo codice legi qui a lectionum variarum compilatoribus excussus sit, sed in exemplis nullis *unquam repertum fuisse*, jam reperiri, *aut unquam repertum iri.* Hoc quidem extremum fateor me probare nunquam posse, neque est in eo probandi sed vaticinandi locus. Ex hoc tamen uno specimine judicent velim critici, dignusne sit ille Joannes Ehrenfridus Wagnerus, ad cujus scriptum maledictis me etiam lacessens, respondeam. Nimis multi dies perituri utilioribus laboribus erant, si nobis imposita esset necessitas, ut omnibus respondeamus indoctis adversariis, qui alii se gratum facturos sperant, nos oppugnando. Neque meo id honori atque existimationi debeo, ut huic scripto respondeam, satis habens lectores rogasse, ut quae in introductione mea a pag. 618. usque ad pag. 628. scripsi integra legant, & cum Wagneri vindiciis integritatis commatis septimi 1 Ioh. V. conferant.

est, neque ullus codex interpresve cum Syro & Arabe hic concinit. Si quidem conjecturae locus esset, ad audaces paraphrases Syri referrem male ab Arabe intellectas. ܫܡܥ enim est quoque ex origine sua, *attente considerare*, quod pro *auscultando* poni a Syro potuit: at hoc Arabs sine Graecis non satis intelligens, ambiguum verbum in consueta *respondendi* significatione accepit. XII, 15. ad verba, ἄγγελος ἀυτοῦ ἐστιν uterque interpres addit, *fortasse*, in quo cum solo Cantabrigiensi codice concinit. XII, 24. pro ηὔξανε, *crescebat*, uterque, *praedicabatur*, nemine suffragante. XIII, 42. pro ἐξιόντων δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων παρεκάλουν τὰ ἔθνη εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι ἀυτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα, uterque legit cum latinizantibus atque adeo in quibusdam cum solo Cantabrigiensi: ἐξιόντων δὲ ἀυτῶν παρεκάλουν εἰς τὸ ἑξῆς σάββατον λαληθῆναι ἀυτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα. 47. post ὁ Κύριος uterque cum sola Coptica versione addit, *quemadmodum scriptum est*; & v. 48. pro ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Κυρίου cum solo Aethiope habet, ἐδόξαζον τὸν Θεὸν, nisi quod Montfortianus codex, seculi ille XVI (judice WETSTENIO, pagina 52. prolegomenorum,) & valde interpolatus, utramque, & vulgarem & nostrorum interpretum lectionem conjungit. XIV, 2. pro ἐπήγειραν καὶ ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν κατὰ τῶν ἀδελφῶν, uterque sine ullo alio suffragio expressit, ἐπήγειραν τὰ ἔθνη, ἵνα κακώσωσι τοὺς ἀδελφούς. XV, 20. uterque interpres sine ulla alia auctoritate, pro ἐιδώλων habet ἐιδωλοθύτων: atque in fine versus 35. uterque soli congruens Aethiopi pro κυρίου habet Θεοῦ: quod eo dignius est observatu, quia in tota hac perikopa a Syro multum dissidens Arabs Copticae versionis similior est, contra quam tamen versu 30. & 35. cum Syro conspirat. Idem facit sequente versu

in

in eodem vocabulo, atque versu 38. cum solis Syro & Cantabrigiensi codice pro ἠξίου habet οὐκ ἐβουλεύετο. XVI, 29. pro αἰτήσας φῶτα uterque, *accendit sibi lucem*. XVII, 15. cum solo Laudano tertio pro ἐντολὴν habet uterque ἐπιστολὴν, atque versu 20. sine ullo suffragio σπεύσεις pro εισφέρεις. In versu 30. cum exempla graeca habeant, *praecipit omnibus hominibus ubivis reverti*, latinaque versio cum latinizantibus, *praecipit hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant*, soli nostri interpretes utramque lectionem exprimunt: *praecipit omnibus hominibus, ut omnes homines ubivis revertantur*. Capitis XVIII. versum quintum, sextique initium, ita expressit uterque: ὡς δὲ ἦλθον πρὸ τῆς Μακεδονίας ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος, συνείχετο τῷ λόγῳ ὁ Παῦλος ἀντιτασσομένων τῶν Ἰουδαίων καὶ βλασφημούντων, διαμαρτυρομένου αὐτοῦ αὐτοῖς, εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. Quae lectio quantum verbis sententiisque a consueta recedat, comparatione utriusque intelligetur. Versu 9. uterque solus omittit, ἐν νυκτὶ, ut & v. 19. κἀκείνους κατέλιπεν αὐτοῦ, atque v. 21. ἀλλ' ἀπετάξατο αὐτοῖς. XX, 28. insignis iterum utriusque versionis concentus est, ubi pro Θεοῦ uterque habet Χριστοῦ, quam lectionem (falsam, ut ego existimo) neque in codicibus aliis neque in versionibus invenire Millius potuit. Sed satis esto minutiarum. Reliqua quae huc faciunt ex paragrapho VII. citabo, in tres classes divisa. Nempe nullus hic locus est lectionibus consuetis, aut quae certae haberi possunt, in quas vel versiones minime cognatae consentient, sed his modo lectionibus de quibus valde dubitari potest, quaeque insolentiores sunt. Esto ergo prima classis lectionum singularium, neque ullo alius codicis versionisque suffragio confirmatarum, in quas si utraque versio, Syriaca & Arabica, saepe tanquam conjurat, dubitari nequit, quin altera ex altera hauserit:

serit: adjungam his ineptas aliquas lectiones, ut capitis XXI, 3. ubi stolidus error sive interpolatio Syri in Arabem irrepsit. Atque huic classi potissimam vim ad probandum, quod efficere suscepi, inesse reor. Secunda classis esto, lectionum quae unum modo aut duo suffragia praeter Syri & Arabis habent: tertia complectetur lectiones pluribus quidem confirmatas suffragiis, neque tamen adeo multis, ut certae esse videantur. Ex solis XXI. primis capitibus haec exempla collegi.

Pertinent ergo ad primam classem Act. III, 2. 10. 24. IV, 5. 7. 23. 26. V, 9. 15. 16. 17. 21. 22. 27. 34. VII, 16. 24. 35. 36. 41. 43. 53. VIII, 7. 12. 13. 33. 34. 35. 38. IX, 1. 17. 25. X, 7. XI, 11. 25. 27. XII, 10. 11. 24. XIII, 1. 11. XIV, 2. XV, 30. XVI, 1. 18. 19. 20. 29. 35. 36. 37. 38. 40. XVII, 6. 11. 13. 15. 16. 18. 20. 22. 25. 27. 30. XVIII, 3. 10. 14. 15. 16. XIX, 8. 12. 13. 17. 20. 27. 29. 31. 33. 35. 38. XX, 4. 9. 11. 19. 23. 35. XXI, 1. 2. 3. 4. 5. 7. 11. 16. 18. 19. 21. 22. 23. 28. 31. 32. 40.

Ad secundam refer Act. I, 9. 18. 26. II, 1. 8. III, 12. IV, 5. 24. V, 18. 21. VII, 19. 29. 30. VIII, 6. XI, 26. XII, 2. 19. XIII, 47. XV, 38. XVI, 21. 35. 36. XVII. 2. 4. 13. 14. 16. 20. 23. 25. XVIII, 1. 8. XIX, 1. 6. 9. 14. 23. 24. 28. 30. 38. XX, 13. 19. 28. 30. XXI, 27. 28. 32. 39. 40.

Tertiae classis sunt Act. I, 16. V, 5. VII, 55. XII, 12. 18. 25. XIX, 8. 26. XXI, 5.

§. III.

Idem ex in-terpret[illegible] bus Ar[illegible] Erpeniani confirmatur.

Nec solo consensu in exprimendis iisdem lectionibus atque adeo mendis originem Syriacam Erpenianus ille Arabs prodit, sed & in

& in interpretationibus jam fingularibus jam paraphrafticis matris Syriacae fimillimus eft, phrafes ipfas Syriacas & linguae idiomata nimia faepe diligentia ad verbum referens, atque etiam in interpretandis vocabulis conftructionibusque Syriacis ambiguis errans, ubi nulla in graecis ambiguitas atque ne occafio quidem erroris erat, ut non Graeca fed Syriaca vertiffe facile intelligatur. In exemplum rei Pater meus in *tractatione critica de variis lectionibus N. T.* jam attulit, Act. VII, 13. 31. Meum eft, pro inftituti mei ratione plura dare, in quibus tamen colligendis fub finem diligentior quam in initio fui, ipfo labore ftudium accendente.

Act. I, 12. *ἐγγὺς ἱερουσαλὴμ*, *prope Hierofolyma*, Syrus vertit ܠܓܢܒ ܐܘܪܫܠܡ *ad latus* Hierofolymae. Iam cum Arabes *prope* alia voce dicant, atque etiam Arabs in bibliis polyglottis verterit مصاقب, nofter tamen Arabs eodem vocabulo, quo Syrus, utens, reddidit الى جانب *ad latus*.

16. *προεῖπε*, *praedixit.*] Cum verbis compofitis linguae orientales deftitutae fint, circumloquutione hoc atque alia ejusdem generis verba graeca exprimenda funt. Haec cum varia effe posfit, atque aliis circumloquutionibus verbi graeci vim reddere foleat Arabs polyglottorum, graeca ipfa interpretatus: Arabs Erpenii illa utitur, quae Syris familiaris eft, *occupavit dixit*, ܩܕܡ ܐܡܪ. Exempla adfcribemus: hoc loco Syrus & Arabs Erpenii, *occupavit dixit*; at Arabs pol. *dixit olim:* c. III, 18. *προκατήγγειλε* Syrus ܩܕܡ ܐܟܪܙ, Ar. Erp. سبق فنادى *praevertit praedicavit*; Arabs autem pol. وعد *promifit:* IV, 28. *προώρισε*, uterque nofter, *occupavit exaravit*, iisdem etiam verbis קדם רשם ufus.

II,

II, 42. ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου *in fragendo pane*, Syrus vera forte scribens, audaciori tamen paraphrasi, quam quae ab interprete adhiberi debet, expressit, *in fractione eucharistiae.* Arabs Erpenianus simillime, *in fractione mysterii.* Vide quoque cap. XX, 7. & adde, quod uterque preces ante fractionem panis, secus atque in graeco exemplo est, commemorat.

III, 2. *& aliquis vir claudus ex utero matris suae existens portabatur, quem ponebant quotidie ante portam templi* &c.] Haec libera satis paraphrasi neglecto & ordine verborum & verbis ipsis ita habent nostri:

Syrus	Arabs
& ecce virum aliquem claudum, qui ex utero matris suae (sc. talis erat) *portabant homines qui consueverant, adferebant & ponebant illum* &c.	*& ecce virum claudum ab utero matris suae portabant homines qui consueverant, ut adferrent illum & ponerent* &c.

18. ἃ προκατήγγειλε διὰ στόματος τῶν προφητῶν αὐτοῦ παθεῖν τὸν χριστόν] Pronomen αὐτοῦ ad praecedens προφητῶν referre interpretes solent: *quae praenuntiavit per os* SUORUM *prophetarum, passurum Christum:* nec aliter ille Arabs vertit, cujus versionem biblia polyglotta habent. At Syrus & Arabs Erpenii referunt ad χριστόν, (*suum Christum passurum esse*) in eandem satis duram verborum trajectionem consentientes.

IV, 13. Θεωροῦντες δὲ τὴν τοῦ Πέτρου παῤῥησίαν καὶ Ἰωάννου] Syrus vertit: *& cum audivissent verbum Simeonis & Joannis, quod aperte loquebantur.* Satis ille licentia abusus, qua si alius utatur interpres, alio dilapsurus videtur. Et tamen Arabs eadem ratione

ne reddidit: *& cum audivissent verbum Petri & Joannis, quod publice loquebantur.* Hunc si graeca interpretatum, non Syriaca, credis, atque casu eandem interpretationis rationem arripuisse, quodvis plagium similia praetexens excusabo.

23. ἰδίους *suos*, seu christianos, uterque *fratres* interpretatur.

31. Uterque eadem verborum redundantia exprimit graeca, *καὶ δεηθέντων αὐτῶν, & precantibus illis:* Syrus, ܘܟܕ ܨܠܝܘ ܘܐܬܟܫܦܘ *& cum precati essent, ac supplicassent;* Arabs, *& cum precati essent & humiliassent se.* Monendi vero lectores, qui ex versione Latina de Syriacis judicant, pessime Syriaca reddita esse in bibliis polyglottis, *cum orassent & fuissent auspicati.* Quo sensu? quae piis hominibus auspicia obtruduntur? Rectius vertit SCHAFIUS: *cum obsecrassent.*

V, 2. ἐνοσφίσατο, quod uno verbo, *fraudavit*, expressit Arabs polyglottorum, Arabs Erpenii ad exemplum Syri vertit: *accepit & occultavit.*

4. Graeca ad verbum reddenda, *nonne manens tibi manebat? & venditum in tua potestate erat?* & Syrus & Arabs eadem paraphrasi exponunt: *nonne tuum erat, priusquam venderetur? & ex quo venditum erat, tu dominus eras super pretium ejus?*

21. τὸ συνέδριον uterque reddit, *collegas suos.*

31. ὕψωσε, uterque duplici verbo: *stare fecit & exaltavit.*

35. Pro, *cauti estote - - - quid facturi sitis*, uterque habet: *cauti estote animae vestrae, & videte, quid vos oporteat facere.*

37. Uterque ἀπογραφὴν vertit, *cum homines describerentur ad tributum.*

C VI,

VI, 11. ὑπέβαλον, *subornarunt*, uterque reddit, *miserunt & docuerunt*.

VII, 2. eadem licentia ἀδελφοὶ καὶ πατέρες ab utroque vertitur; fratres *nostri* & patres *nostri*.

7. δουλεύσωσι, Syrus pleonastice verterat, *servient servitutem*. Idem servitutis nomen addidit & Arabs.

8. Eadem uterque libertate πατριάρχας *duodecim patres nostros* non vertit, sed paraphrastice exposuit.

31. *Facta est vox domini ad illum*, uterque solutius exponit: *dixit ei dominus per tonitru*.

VIII, 9. Graeca, *vir vero aliquis nomine Simon antea fuerat in urbe, magiam exercens & percellens gentem Samaritanorum, dicens, esse se aliquem magnum*, Syrus vertit: *erat vero vir aliquis, cujus nomen Simon, qui habitaverat in illa civitate tempus multum, & magia sua seducebat populum Samaritanorum, dum magnum faciebat se, & dicebat, ego magnus sum*. Haec mihi omnia repetenda essent, Arabica interpretaturo, nisi quod post Simonis nomen additur, *magus*.

20. χρημάτων uterque paraphrastice, Syrus, *opes mundi*, Arabs pro suae linguae idiomate, *opes vitae inferioris* vertit.

IX, 1. ὁ δὲ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου, *Saulus vero adhuc minas & caedem spirans*, uterque circumloquitur: *Saulus vero adhuc plenus erat minis & furore caedis*. Nempe spirare verbo minus emphatico expresserat Syrus, *plenus erat*: ne tamen vis graecae veritatis periret, eam ad caedem transtulit, ac *furorem caedis* inde effecit: quae singula imitatur Arabs

2. τῆς ὁδοῦ ὄντας, uterque: qui in illa via *ambulabant*;

X, 22.

X, 22. ἐχρηματίσθη ὑπὸ ἀγγέλου, *oraculo monitus est ab angelo*, Syrus expressit circumloquutione ipsi non insolita, (confer enim Matth. II, 12. 22.) *dictum ei est in visione ab angelo*. Hanc, non graecum textum, nova circumloquutione interpretatur Arabs: *dixit ei angelus in visione*.

27. Partem interpretationis Syriacae, quae redundat neque in graecis habetur, expressit Arabs, ea parte omissa, quae sola in codicibus graecis exstat. Nempe cum invenisse Petrus dicatur συνεληλυθότας πολλοὺς, *multos qui convenerant*, non satis presse illud reddidit Syrus, *multos qui venerant illuc*. Hic Arabs neglectis mediis ultimam non graeci textus sed solius Syri vocem, ILLUC, arripuit, (habebat enim forte Syriacum quo utebatur exemplum) vertitque: *& invenit multos* APUD ILLUM. Simile quid accidit in versu 45. ejusdem capitis, cujus paraphrasin potius quam versionem Syriacam male intellexit Arabs. Graeca sunt, οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ, *fideles ex circumcisione*, quo nomine non alios Judaeos, quam qui Christo fidem obstrinxerant, significari liquet. Libere autem, sola servata sententia interpretatus Syrus est: *fratres circumcisi*, fratrum nomine credentes, seu fratres in Christo intelligens. Jam cum & Judaei universi fratres dici soleant, Arabs ambiguitate versionis Syriacae deceptus de Judaeis verba accepit, licentiamque paraphrasticam licentiae addens vertit: *qui ex populo circumcisionis erant*. Nunquam id commissurus fuisse videtur, si graecum codicem ipsum interpretatus πιστοὶ legisset, quam vocem codex graecus nullus omittit.

XI, 16. Graecum ὡς ἔλεγεν recte quidem vertit ܕܐܡܪ ܗܘܐ, quod tamen cum ambiguum in lingua Syriaca sit, possitque significare

ficare & *prout dixit*, & *qui dixit*, Syriacae linguae ambiguitate deceptus Arabs habet *qui dixit*, cui errori in vertendis graecis vix locus erat.

18. *ἆρα γε*, quod admirantis est, Syrus sive pro addubitantis voce habens, sive ipsam admirationem dubitando exprimens, vertit *fortasse*, idemque & facit Arabs.

23. *τῇ προθέσει τῆς καρδίας*, *proposito cordis*, uterque eadem circumloquutione vertit, *toto corde suo*, & v. 28. *ἐσήμανε*, *docuit illos*, pro *significavit*.

XII, 1. pro, *injecit manus vexare aliquos*, uterque transpositis vocibus, *injecit manus quibusdam*, *ut vexaret illos*.

4. *τέσσαρσι τετραδίοις*, *quatuor quaternionibus*, uterque numeri solum non verborum ratione habita audacter expressit, *sedecim*,

5. *προσευχὴ ἐκτενὴς*, *intensissima precatio*, utrique ne sententia quidem graecorum verborum omnino servata est *perseverans oratio*.

6. *προάγειν*, *producere* tanquam spectaculum populo exhibendum, ab utroque vertitur, ܠܡܫܠܡܘ *tradere*, nempe ad mortem, quod graeco *παραδοῦναι* respondere alias solet. Versu quidem quarto, (ne id dissimulare videar) ubi in Syro pro graeco *ἀναγαγεῖν* idem verbum legitur, Arabs vim graeci verbi melius expressit, *ut educeret eum*.

19. *ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι*, *jussit duci*, uterque vere quidem sed paraphrastice reddit, *jussit mori*.

20. *τὸν ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος* non servata circumloquutione graeca uterque uno cubicularii vocabulo reddit, Syrus ܩܝܛܘܢܗ, Arabs خازن. Contra *ᾐτοῦντο εἰρήνην*, *petebant pacem*,

cem; uterque verboſius, *petebant ut eſſet ſibi pax*; & διὰ τὸ τρέφεσθαι, mutato in nomen verbo, *propterea quod eſſet alimentum*.

XIII, 2. λειτουργούντων *miniſtrantibus illis domino*, eadem uterque paraphraſi nimis ſoluta expreſſit, *cum precarentur ad dominum*.

3. καὶ ἐπιθέντες, *& cum impoſuiſſent*, quod in N. T. graeco ad protaſin referendum eſt, uterque ad apodoſin retulit, *impoſuerunt:* paraphraſtica licentia Syro familiari, qui ſaepe participia in verba reſolvit, nec conſtructionis tenax eſt, praecipue ſi protaſis ſit longior, quam ille breviorem facere ſolet. Ἀπέλυσαν, quod eſt *dimiſerunt*, uterque vertit, *miſerunt*.

5. γενόμενοι, *cum eſſent*, uterque, *cum ingreſſi eſſent*: & κατήγγελλον *evangelizabant*. Εἶχον ἰωάννην ὑπηρέτην ambigue circumloquitur Syrus, *Joannes erat miniſtrans illis:* atque ex hoc non recte intellecto Arabs, *Joannes miniſtrabat apud illos*. Nempe ܗܘܐ, quo verbo Syrus hic & alibi graecum ἔχειν *habere* exprimit, cum praecedente participio conſtructum pro praeterito imperfecto Syrorum periphraſtico habuit Arabs.

11. καὶ περιάγων ἐζήτει χειραγωγούς, *& circumiens quaerebat manuductores.*] Non verba, ſed ſententiam expreſſit Syrus, *in orbem ambulabat, & quaerebat, num quis apprehenderet manum ſuam.* Haec Syriaca expreſſit Arabs, ita quidem, ut verbum ܒܥܐ, quod & quaerere eſt & petere, non recte intelligens, *petere* verteret, in quem errorem graeca legens incidere haud poterat. Sic ille: *& coepit in orbem ire, & flagitabat, num quis apprehenderet manum ſuam.*

12. Singularem illam, nec inelegantem verſionem, quam §. 1. indicavi, habet quoque Arabs.

13. οἱ περὶ τὸν παῦλον ad exemplum Syri exprimit Arabs: *Paulus vero & Barnabas:* idem etiam nominibus urbium propriis eodem auctore subjungens *civitatem*. Nempe solet Syrus post geographica nomina addere, *civitas*, *insula*, *regio*, ut imperitis consulat lectoribus: quod plerumque imitatur Arabs, ut semel illud sufficiat monuisse, molestumque mihi videatur, toties indicare quoties Arabs id facit.

23. Verba hujus versus eodem modo Arabs transponit, quo Syrus, atque κατ' ἐπαγγελίαν ad ejus exemplum reddit, *quemadmodum promiserat*, non ad verba graeca, quae sonant, secundum promissionem.

27. κρίναντες ἐπλήρωσαν *judicantes impleverunt*, voces nempe prophetarum, quae in medio versu commemoratae erant. Haec magna licentia eloquitur Syrus, (nescio an etiam ita legerit) judicarunt *illum*, & impleverunt *omnia quae scripta erant:* quam paraphrasin ad verbum transtulit Arabs.

34. Hic versus mira sive lectionis pravitate sive interpretis licentia in versione Syriaca expressus, ab Arabe prorsus ad Syriaca verba versus est. Quod ut intelligatur subjiciam graeca, Syriaca, & Arabica ad verbum translata:

Gr.	Syr.	Arab.
quod vero excitaverit eum ex mortuis, non amplius reversurum ad corruptionem, ita dixit: dabo vobis sancta Davidis fidelia.	*atque ita* excitavit illum *Deus* ex mortuis, ut iterum non revertatur *videat* corruptionem: *quemadmodum* dixit: dabo vobis *gratiam* Davidis fidelem.	*quoniam Deus* excitavit illum ex mortuis, *ita* ut iterum non revertatur *videat* corruptionem, *quemadmodum* dixit: dabo vobis *gratiam* Davidis veram.

46.

46. *οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς*, *non dignos judicatis vos ipsos*, uterque exprimit: *decidítis de animabus*, (i. e. personis) *vestris*, *quod non digni sitis*.

XIV, 11. *λυκαονιστὶ* Lycaonice, Syrus circumscribit, *lingua loci sui*, itemque Arabs, *dialecto sua* (barbara) بلغتهم, a radice لغى *erravit in dicendo*.

11. *ἡγούμενος τὸν λόγον* ex Syro *παραφράζει* Arabs, *incipiebat verbis*.

13. Sacerdos Jovis boves coronatos agit *ἐπὶ τοὺς πυλῶνας*, quae cum portae sive urbis, sive aedium esse possint, in quas ingressi apostoli erant, Syrus exponit magis, atque commentatur, quam vertit: *ad portas domus, nempe loci in quo hospitabantur*. Eadem fere habet Arabs: *ad portam domus, quae erat amborum hospitium*.

17. *οὐρανόθεν* ad praecedentia & Syrus & Arabs retulit: *οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν* eadem uterque ratione circumloquutus exprimit, *non reliquit animam suam* (se) *sine testimonio*: *καὶ καιροὺς καρποφόρους* uterque: *& crescere faciebat illis fructus temporibus suis*.

XV, 38. Cum fere in tota hac pericopa, inde à versu XXI praecedentis capitis, a Syro dissideat Arabs, cum Coptica potius versione conspirans, mirum est, quantum in hujus versus lectione uni Cantabrigiensi concinente, (*οὐκ ἐβούλετο*, pro *ἠξίου*) in ordine verborum mutando contra Coptum cum Syro faciat, ut qui expallescere coeperat jam iterum agnoscatur in Arabe Syriacae versionis color ac tanquam sanguis. Graecae autem lectioni vulgatae satis curate respondet Coptica versio: habet ergo

Paulus

Gr.	Syr.	Ar.
Paulus autem dignum putabat, discedentem ab ipsis inde a Pamphylia, nec profectum secum ad opus, non assumere talem.	Paulus autem *nolebat* ducere *eum* secum, *propterea quod* reliquerat ipsos *cum essent* in Pamphylia, neque profectus erat cum ipsis.	Paulus autem *nolebat* tenere *eum* secum, *propterea quod* reliquerat ipsos *cum essent* in Pamphylia, neque profectus erat cum ipsis *ad opus.*

XVI, 10. *ἐζητήσαμεν*, *quaesivimus*, seu imminuimus occasioni, uterque neglecta vi verbi graeci dilutius vertit, *voluimus.*

12. *ἡμέρας τινὰς*, *dies aliquot*, uterque expressit, *dies notos*, id vero est, *certos:* & v. 13. *οὗ ἐνομίζετο*, *ubi videbatur*, pro, *ubi consueverat.* Sententia quidem graeci textus non mutata est; sed convenientia dictionis, in tanta praecipue phrasium quibus proprie magis uti Arabs potuisset copia, Syriaci coloris est.

14. Mirifice hic versus transpositus ab utroque interprete:

Gr.	Syr.	Ar.
καί τις γυνὴ,	& femina *una,*	& femina *una,*
ὀνόματι λυδία,	vendens purpuram,	vendens purpuram,
πορφυρόπωλις,	*quae* timens *erat* Deum,	*quae erat* timens Deum,
πόλεως Θυατείρων	(nomen *ejus erat* Lydia)	& *erat* nomen *ejus* Lydia
σεβομένη τὸν Θεὸν	ex Thyatiris urbe,	ex Thyatiris urbe,
ἤκουεν	(deficit)	(deficit).

Si quis hic non intelligit versionum alteram ex altera fluxisse, nae illum nullo argumento vincemus.

15. Idem mirificus & lectionis & dictionis consensus in hoc etiam versu apparet. Pro graecis *ὡς δὲ ἐβαπτίσθη, καὶ ὁ οἶκος αὐτῆς*, Syrus habet omisso *ὡς* (nec enim protases amat) & addens cum latinizantibus *αὐτὴ*: *& baptizata est* IPSA, *&* FILII *domus ejus:* itemque Arabs: *postea baptizata est* IPSA, *&* FAMILIA

domus

domus ejus. παρεκάλεσε λέγουσα, Syrus & Arabs, *petebat* A NOBIS *& dicebat*, (Ar. dicens.) εἰ κεκρίκατέ (judicatis) με πιστὴν τῷ κυρίῳ εἶναι, Syrus, *si* FIRMITER CONFIDITIS, *quod credam in dominum*, & cum ܒܫܪܪܐ *firmiter* etiam *vere* significet Syris, Arabs inde: *si* ESTIS CERTI IN VERITATE, *quod ego credam in dominum.* Ἐισελθόντες εἰς τὸν οἶκόν μου μείνατε, Syrus, *venite divertite vobis domum meam*, & Arabs, *venite divertite in hospitium meum.*

16. μαντευομένη uterque, *divinationibus quas divinabat.*

25. ὕμνουν τὸν Θεὸν, quod verti posset, hymnos canebant in Deum, uterque eodem verbo שבח utens reddidit, *laudabant Deum:* & ἐπηκροῶντο neglecta emphasi vocis graecae, *audiebant eos.*

27. ἔμελλεν ἀναιρεῖν Syrus vertit, *quaerebat ut se interficeret*, & Arabs, *volebat ut se interficeret*. Sunt minora plura in sequentibus versibus, ut tricesimo tertio, in quibus utrique versioni non sane casu convenit, sed quae taedio vel criticis forent, si singula enarrare velim.

34. ἀναγαγὼν uterque duplici verbo vertit, Syrus, *duxit & ascendere fecit*, Arabs, *prehendit & ascendere fecit*. ἠγαλλιάσατο πεπιστευκὼς, uterque, *exsultavit in fide.*

35. ῥαβδούχους Syrus, *tenentes baculos*, Arabs, *socios baculorum*, uterque servata derivatione & neglecta sententia, certe hac non satis perspicue exposita.

37. δημοσίᾳ *publice*, Syrus, *coram oculo totius mundi*, & Arabs, *coram facie* (*) (in conspectu) *totius mundi.*

39.

(*) Ne cui vox Arabica GOLIO neglecta تلقاء molesta esse possit, sciendum, idem omnino significare atque nomen verbale quod ille

39. παρεκάλεσαν αὐτοὺς καὶ ἐξαγαγόντες ἠρώτων ἐξελθεῖν τῆς πόλεως, uterque, *petierunt ab illis, ut exirent, & migrarent ex civitate.* Nempe ex verbis παρεκάλεσαν & ἠρώτων alterum neglexit Syrus, linguae paupertate, siquidem utrique verbo graeco respondet Syriacum ܒܥܐ, & παρεκάλεσαν καὶ ἐξαγαγόντες satis libere vertit, *petierunt ut exirent.*

XVII, 3. καὶ ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς Ἰησοῦς, quod verti debebat, *& quod hicce Christus sit Jesus*, minus bene diligenterque verterunt nostri, verba etiam transponentes: *& quod hic sit Jesus Christus.*

4. γυναικῶν πρώτων, *mulierum primariarum.*] Uterque interpretatur *mulieres notas*, seu celebres, ita tamen, ut ne Syri quidem veram sententiam percepisse Arabs videatur, eo quippe verbo usus, quod prostibula significare potest, معروفات. Idem factum est v. 12.

5. ἐζήτουν αὐτοὺς ἀγαγεῖν εἰς τὸν δῆμον, uterque: *quaerebant* (Ar. *volebant*) *educere illos* (Syr. *inde*) *& tradere illos populo.* Uterque eodem etiam verbo אשלם, *tradere*, usus.

6. Manifestus iterum per omnem versum concentus: *trahebant Jasonem*

καὶ

ille habet p. 2630. وجاد. Nempe pro verbo وجد etiam تجد dicere possunt Arabes, quod in pluribus usu venit verbis primae radicalis Elisph vel Vau, ex confusione primum natum, quod in conjugatione octava a verbis primae radicalis Te distingui nequeunt.

Gr.	Syr.	Ar.
καὶ τινας ἀδελφοὺς ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας.	& fratres *qui erant ibi & duxerunt eos* ad principes civitatis.	& fratres *qui erant ibi & duxerunt eos* ad principes civitatis.

7. Pro, *faciunt contra mandata Caesaris*, uterque liberius scripsit, *mandato Caesaris resistunt*.

11. Manifestus etiam hic utriusque versionis consensus, quae, sive alia legerit antiquior ex ambobus interpres, sive paraphrastica libertate abusus fuerit, valde a graecis recedunt:

Gr.	Syr.	Ar.
οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ,	nobiles erant *enim* hi *Judaei* prae *Judaeis* illis, qui erant Thessalonicae,	*& hoc* (sc. factum est) *quia* hi *Judaei, qui erant ibi*, nobiliores erant prae illis *Judaeis*, qui erant Thessalonicae,
οἵτινες ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, τὸ καθ' ἡμέραν.	*& audiebant ab illis* verbum quotidie gaudenter.	*& audiebant* verbum quotidie faciles.

12. Cum in graeco textu feminae viris praepositae essent, Syrus, cui id indecorum fortasse videbatur, mutato ordine primam facit virorum mentionem, feminasque, quae ipsi Lucae εὐσχήμονες sunt, *notas* vocat, seu celebres. Utrumque imitatur Arabs, notas autem repetito versus quarti errore معروفات *cognitas* seu *prostibula* dicit. Nempe ut noverat, alibi portitores & meretrices promtiores Pharisaeis fuisse in evangelio admittendo, ita & hic male intellecto Syro credidit, meretrices primas in regnum Dei ingressas esse.

15. οἱ δὲ καθιστῶντες, quod verti debebat, *hi vero postquam constituissent*. Syrus pro subjecto (quod dicunt) orationis habuit,

versumque meram fecit protasin sine apodosi, nisi placeat, cum SCHAFIO in particula Vau apodosin quaerere illamque QUOQUE vertere. Eodem vitio etiam Arabica versio laborat.

18. Tantus iterum utriusque versionis in lectionibus singularibus, paraphrasticisque interpretationibus consensus, ut totus versus describendus sit:

Gr.	Syr.	Ar.
τινὲς δὲ τῶν ἐπικουρείων καὶ τῶν στωικῶν φιλοσόφων	atque etiam philosophi quidam qui erant *ex doctrina* Epicuri & *alii qui vocabantur* Stoici	Et philosophi qui erant *ex doctrina* Epicuri, & alii *qui cognominabantur* Stoici
συνέβαλλον αὐτῷ	disputabant cum ipso:	disputabant cum ipso:
καί τινες ἔλεγον	& *homines & homines ex illis* dicebant,	& *homines & homines* (*) *ex illis* dicebant,
τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν;	quid vult hic colligens verba?	quid desiderat hic colligens verba?
οἱ δὲ,	& alii *dicebant*,	& alii *dicebant*,
ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι	Deos peregrinos *praedicat*	Deos peregrinos praedicat

Post *ἀνάστασιν* uterque etiam addit, *ejus*, ut Christi resurrectio, non mortuorum omnium intelligeretur.

19. ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον uterque: *ad domum judicis quae vocatur Arius Pagus*.

22. δεισιδαιμονεστέρους, quae vox mediae significationis est, non in pejorem modo partem interpretatus est Syrus, *superstitiosiores*, sed longe graviori phrasi utens, comparativum etiam gradum

(*) Ita quidem & Syrus: sed illi per Syriasmum *homo & homo* significat τινες. At Arabs phrasin minus Arabibus familiarem de verbo ad verbum transtulit.

dum circumloquutione invidiosa exprimens, scripsit: *quod abundantes sitis in timore* (ܕܚܠܬܐ) *diabolorum*. Sic & Arabs: *excellere studentes in cultu Satanarum*.

23. *σεβάσματα*, quod ipsa potius numina significat, uterque vertit, *domos religiosas*.

26. Graeca *ἐξ ἑνὸς αἵματος*, nemo interpretaturus videtur, *ex uno homine* seu *Adamo*, quamvis sensus idem mansurus sit. At Syriaca versio tali errori locum dare potuit, quod ܕܡܐ *sanguis* unica modo litera ab ܐܕܡ *Adam* differt. Jam ergo liquere arbitror, unde Arabs suum *Adam* hauserit. Sunt & paraphrases aliquae utrique interpreti per hunc versum communes, sed quas praetereo.

28. *Poëtam*, quem Paulus dixit, uterque *virum sapientem* vocat, verbaque citata, *τοῦ καὶ γένος ἐσμὲν*, reddit, *ab illo est genus nostrum*.

30. *ὑπεριδὼν* uterque vertit, *transire fecit*, & graecum *ἀγνοίας*, *errorem*.

31. *οἰκουμένην* uterque vertit, *terram universam*. Ἐν *ἀνδρὶ per virum*, consueto suo idiomate reddit Syrus, *per manum viri*, quam Syro familiarem ac fere necessariam phrasin Arabs etiam habet, licet Arabica lingua hanc circumloquutionem minus desideret.

πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, *fidem praebens omnibus*, i. e. omnibus hominibus invicto argumento fidem hujus rei faciens, uterque eodem errore satis etiam palpabili reddit: *convertit omnem hominem ad fidem ejus*. Quae versio, cum non falsa solum, sed & prima fronte veri dissimilis sit, paucis ad fidem conversis, vix crediderim duo interpretes sua quemque sponte in eandem incidisse.

33. *ἐκ μέσου αὐτῶν*, uterque liberius, *ex inter illos.*

34. Pro, *in quibus & Dionysius Areopagita*, uterque paraphrastice habet, *erat unus ex illis*, *Dionysius*, (addit Arabs, *unus*) *ex judicibus Arii pagi.*

XVIII, 2. *καὶ εὑρών τινα ἰουδαῖον ὀνόματι ἀκύλαν ποντικὸν τῷ γένει, προσφάτως ἐληλυθότα ἀπὸ τῆς ἰταλίας, καὶ πρίσκιλλαν*, &c. uterque vertit: & invenit *ibi virum* Judaeum, *cujus* nomen *erat* Aquilas, *qui erat e regione* Ponti, qui *illo ipso tempore* venerat ex Italia, (Syr. *regione Italiae*) *ipse &* Priscilla. Post Claudii nomen etiam addunt, *Caesar.*

14. *μέλλοντος* uterque vertit, *cum vellet*, & post *στόμα* paraphrastice addit, *& loqui*, similique licentia post *πονηρὸν*, *accusaretis.* Πονηρὸν uterque vertit, *odiosum* seu *detestabile.*

17. *οὐδὲν τούτων ἔμελεν*, *nihil horum curae erat Gallioni*, uterque vertit minus ad verbum, *Gallion haec negligebat.*

18. *ἀποταξάμενος* satis insolite reddit Syrus, *dedit fratribus pacem*, seu salutem, id est, valedixit illis. Hinc insolentius etiam Arabs; *deposuit fratres in pace.* Ἐξέπλει εἰς τὴν Συρίαν, uterque, *profectus est mari ut discederet in Syriam.*

23. *ποιήσας χρόνον τινὰ*, uterque, *cum fuisset*, (Ar. *commoratus esset*) *ibi dies notos*, i. e. aliquos.

24. *ἀνὴρ λόγιος*, *vir disertus*, Syrus vertit, *eruditus in verbo*, atque ex hoc Arabs, *qui studuerat verbo.*

δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς uterque non transponit solum, quod lectionis esse possit variae, sed & paraphrastice vertit: *oculatus erat in scripturis*,

25.

25. κατηχούμενος, Syrus ܡܬܬܠܡܕ, cognatoque verbo Arabs تتلمذ, *discipulus factus*, a תלמיד *discipulus*.

ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου, uterque, *cum nihil nosset nisi baptisma Joannis*.

26. προσελάβοντο αὐτὸν, uterque, *adduxerunt eum domum suam*; & ἀκριβέστερον *plenius*.

27. In eo quidem congruit Syro Arabs, quod προτρεψάμενοι non, ut alii, vertit, *adhortati*: nec tamen assequor, quomodo Arabica interpretatio ex Syriaca exstiterit. Cum enim Syrus reddat, ܦܪܚܘ ܠܗ *praeverterunt illum*, Arabs habet فرحوا به *gavisi sunt ob eum*. Forte verbum فرح Arabibus non minus quam Syris erat *volare*, quod idem esse potuit ac *praevertere aliquem*.

28. ἐπιδεικνὺς -- εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, uterque, *demonstrabat de Jesu, quod esset Christus*. Minutum, atque alibi praetermittendum concentum, propterea non neglexi, quod in superioribus versibus iterum discrepare incipiunt nostrae versiones.

XIX, 1. καὶ εὑρών τινας μαθητὰς, εἶπε πρὸς αὐτοὺς, uterque: *& interrogavit fratres quos invenit ibi*: ne verbo quidem, nisi primo καὶ, servato.

11. οὐ τὰς τυχούσας, uterque vertit: *magnas*.

12. ἐπιφέρεσθαι uterque, *afferebant & ponebant*. Alia etiam, quae ad lectionem referens paragrapho VII indicabo, prorsus singularia, hujus forte loci sunt, nec lectioni alii sed paraphrasticae debentur licentiae.

18.

18. τὰς πράξεις αὐτῶν uterque vertit, *quid fecissent*.

19. Pro ἱκανοὶ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, uterque, sola expressa sententia neglectisque verbis, habet, *magi multi*. Συνενέγκαντες τὰς βίβλους redundanter uterque, *congregarunt libros suos & attulerunt*. Καὶ εὗρον (& invenerunt summam) uterque, *& ascendit argentum*.

21. ἔθετο ἐν τῷ πνεύματι, quod alii de proposito per Spiritum Sanctum capto intellexerunt, Syrus, *posuit in mente sua*, Arabs, *proposuit in idea*.

23. οὐκ ὀλίγος, uterque, *magnus*.

24. Δημήτριος γάρ τις ὀνόματι ἀργυροκόπος, Syrus, *erat vero ibi faciens argentum unus, cujus nomen erat Demetrius*: Arabs, *erat vero ibi vir conflans argentum, cujus nomen erat Demetrius*.

27. Graeca, quae ad verbum reddita sonant, *nec solum haec nobis periclitatur sors in disputationem venire*, Syrus & Arabs vertit: *neque haec solum res manifestabitur & cessabit*.

ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ ἡ οἰκουμένη σέβεται a Syro ambigue redditur, ܐܠܗܬܐ, ܕܟܠܗ ܐܣܝܐ ܘܟܠܗܘܢ, ܥܡܡܐ ܣܓܕܝܢ ܠܗ, quod latine verti potest, &: *Dea, quam omnis Asia & universi populi adorant*, &: *Dea totius Asiae, quam universi populi adorant*: & hanc quidem explicationem, quae ex graecis exsculpi nulla arte posset, arripuit Arabs, atque ad verbum Arabicam fecit.

29. Hic iterum Syrum non recte intellexit Arabs, ubi locus errori in vertendis graecis non fuisset. Graeca sunt, ἐπλήσθη ἡ πόλις ὅλη συγχύσεως, *impleta est tota urbs confusione*. Jam Syrus habet, *perturbata est tota urbs*: quod de timoris perturbatione accipiens Arabs vertit, *timuit tota urbs*.

32.

32. Verba, ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, uterque ex medio versu in initium transtulit, reddens: *congregationes vero quae erant in theatro valde confundebantur.*

34. Φωνὴ ἐγένετο μία ἐκ πάντων — κραζόντων, pro, *vox facta una est ex omnibus, clamantibus illis*, reddidit uterque: *clamarunt omnes voce una, clamantes.*

35. ὁ γραμματεὺς utrique est, *caput civitatis.*

XX, 2. εἰς τὴν Ἑλλάδα, uterque *in locum* Hellas (הלס) ubi & notari velim, utrumque Helladis nomen per *S* scribere, ut a primo casu concipitur.

3. ἐπιβουλῆν, uterque dolum.

4. Omnes paraphrases geographicas Syri interpretis servavit Arabs, post nomina civitatum propria addens *civitatis* vocabulum, ut *Beroea civitas*, *Derbe civitas*, &c. Solet haec interpretis scholia jam omittere Arabs, jam exprimere, quod semel monuisse sufficiat. Idem facit in versu sequenti, cujus initium ex utroque interprete est: nos vero *egressi sumus* Philippis *civitate Macedoniae*, post dies azymorum, *& iter fecimus mari.* Velim & periphrasin enavigandi, *exire & iter facere mari*, a lectoribus observari, quam Syro familiarem etiam tenuit Arabs.

7. κλᾶσαι ἄρτον, Syrus, ut supra c. II, 42, reddit, *ut frangeremus eucharistiam*, ex quo Arabs, *ut distribueremus corpus domini.*

9. καταφερόμενος ὕπνῳ uterque, *submersus somno.*

13. εἰς τὴν ἄσσον, uterque, *prope Assum* (vel, *Thassum*) confusa, ut infra ostendam, duplici interpretatione, quarum altera ἄσσον nomen urbis habebat, altera *propius* interpretata particulam faciebat.

14. ὡς δὲ συνέβαλεν ἡμῖν, uterque paraphrastice, *cum recepissemus ipsum*, verbo etiam usus eodem, קבל, atque addens post ἀναλαβόντες, *in navigium*.

15. παρεβάλλομεν *trajecimus*, uterque negligentius expressit, *venimus*.

17. Nomen *Ephesi*, quod casus quarti atque in versu septimum est, (*mittens Ephesum*) in casu secundo habet uterque, inque fine versus: *ecclesiae Ephesi*. Non hanc aliam esse arbitror lectionem, sed interpretationem solutiorem.

20. δημοσίᾳ uterque vertit, *in plateis*, quae paraphrasis non liberior solum justo, sed & falsa est. Publice enim cum se praedicasse dicit Paulus, orationes intelligit in synagogis habitas, non in plateis, in quibus eum Ephesi verba fecisse nullo argumento constat.

20. 27. Uterque versus in Graecis habet, οὐχ ὑπεστειλάμην, eodem sensu: quod tamen verbum ab Arabe varie redditur, nempe v. 20. لم أخف *non texi quidquam*, at v. 27. لم أستعف *non aversatus sum*, (a verbo عيف, *volare*, inde, *cibo supervolare*, *eumque odore explorare*, tandem, aversari.) Atqui & antiquioris longe Syri eadem jam fuit diversitas, qui v. 20. habebat, ܠܐ ܚܣܝܬ *non texi*, & v. 27. ܠܐ ܐܬܚܡܠܬ *non deprecatus sum*.

30. ὀπίσω αὐτῶν paraphrastice reddit Syrus, *ut abeant post ipsos*. Jam cum hac phrasi in vertendo graeco ἀκολουθεῖν uti soleat, etiam hic ita accepit Arabs, vertitque, *ut sequantur ipsos*, Syriacae etiam versionis ambiguitates in suam paraphrasin ea parte qua non debebat, admittens.

35. *μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν*, uterque vertit, *beatitudinem ejus qui dat majorem, quam qui accipit*, infinitivo rei in descriptionem ejus, qui ita facit, mutato.

36. *θεὶς τὰ γόνατα σὺν πᾶσιν αὐτοῖς προσηύξατο*, uterque: *sedens super genua precabatur, & omnes homines cum ipso:* pro, ponens genua precabatur cum omnibus illis.

XXI, 11. *οὗ ἐστιν ἡ ζώνη αὕτη*, uterque vertit, *dominum hujus cinguli.*

24. Pro *ἁγνίσθητι purificator*, Syrus ex solo linguae suae idiomate scripsit, *abi purificare*, quod & Arabs expressit.

οὐδέν ἐστιν, uterque vertit, *mendax est.*

ἀλλὰ στοιχεῖς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον φυλάσσων, vertit Syrus: *& quod tu legem implens* (seu *sequens*) *sis & servans.* Nempe *καὶ αὐτὸς* omnino sive non legit, sive neglexit: *στοιχεῖς φυλάσσων* reddidit ܡܫܡܠܐ ܘܢܛܪ Sciendum autem, prius ex his verbis Syris etiam esse, *sequi, vestigia legere*, proprie, *implere id quod post alium est.* Ita quidem plenior phrasis reperitur Rom. IV, 12. graeco etiam verbo *στοιχεῖν* respondens, quam & Hebraei habent Num. XIV, 24. XXXII, 11. ubi *implere post Jehovam* est, *sectari Jehovam.* Recte ergo & bene hoc verbo usus Syrus videtur, ita latine interpretandus: *quod tu vestigia legis premas eamque serves.* At est ambiguitas in verbo Syriaco, quod esse etiam potest, *congruere, consentire*, ac tanquam *pacem colere:* atque sic accepit Arabs, ex Syro reddens, *& quod tu consentias legi, eamque serves*, cui versioni in graeca veritate ne occasio quidem fuisset.

29. Pro, *quod eum introduxisset Paulus*, uterque habet, *quod cum Paulo ingressus esset.*

35. συνέβη βαστάζεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν, uterque neglectis verbis graecis, ac sola servata sententia, *portarunt eum milites.*

37. εἰσάγεσθαι *inferri*, per Syriasmum vertit Syrus, *ingredi*, (vide Patris mei grammaticam Syriacam lib. III. cap. I. §. 3.) quod idioma licet Arabibus minus frequens sit, vertit tamen & Arabs; *cum prope essent, ut ingrederentur.*

38. Participia, ἀναστατώσας καὶ ἐξαγαγὼν, uterque mutat in praeterita secundae personae: Syrus, *qui movisti & eduxisti:* Arabs, *qui fecisti tumultum & eduxisti*, in hoc tamen Copticae similior, quod ἀναστατώσας reddit, *tumultum facere.*

Sicarios, quorum graeca veritas mentionem facit, uterque vertit, *facientes mala.*

XXII, 6. ἐγγίζοντι, *appropinquanti*, uterque vertit, *cum inciperem pervenire.*

11. χειραγωγούμενος *manu ductus*, uterque reddit, *apprehendebant me manibus meis.*

12. μαρτυρούμενος, uterque, *quemadmodum testantur*, leviter etiam mutata sententia.

13. ἀνάβλεψον uterque, *aperi oculos tuos*, atque ἀνέβλεψα, εἰς αὐτὸν, *aperti sunt oculi mei, & intuitus sum illum.*

14. προεχειρίσατό σε, uterque verbo קום in Hiphil usus vertit, *constituit te.*

21. Syrus paraphrastice addit, *ad praedicandum.* Sic & Arabs.

22. Uterque ab initio paraphrastice habet, *cum audivissent:* ac deinde τὸν τοιοῦτον vertit, *is qui talis est.*

28.

28. τὴν πολιτείαν ταύτην, uterque, *Romanitatem.*

30. τί κατηγορεῖται, uterque mutato passivo verbo in activum fusius circumscribit: *quaenam esset accusatio, quam afferrent* (Ar. *accusarent*) *contra illum.*

XXIII, 5. οὐκ ἐρεῖς κακῶς, uterque una voce expressit, *non exsecraberis.*

7. ἐγένετο στάσις τῶν Φαρισαίων κατὰ τῶν σαδδουκαίων, Syrus, *cecidit unus contra alium, Pharisaei & Sadducaei.* Hunc sine dubio interpretatus Arabs est, ita scribens: *ceciderunt Pharisaei & Sadducaei, pars ipsorum contra partem.*

8. τὰ ἀμφότερα, uterque, *omnia illa.* Forte absonum Syro videbatur, de tribus, resurrectione, angelo & spiritu, scribere, *ambo illa*, non cogitanti, angelos ad classem spirituum a Luca relatos esse.

10. Iterum male intellectus Arabi Syrus errori locum dedit, in graecis reddendis nunquam committendo. Habet nempe Syrus: *misit Romanos, ut venirent & eriperent illum.* Nempe Romanus lingua Syrorum militem significat. Jam cum casus quarti indicium sit praefixum Lomad, idemque & AD, praepositionem, significare posset: hac ambiguitate deceptus Arabs, (situs credo locorum ignarissimum fuisse) stolide vertit: *misit ad Romanos, ut venirent* &c. Haec ex graecis, ἐκέλευσε τὸ στράτευμα καταβὰν ἁρπάσαι αὐτὸν, quis vel negligentissimus fundere flagitia potius quam verba potuisset?

17. προσκαλεσάμενος, uterque, *misit & vocavit.*

18. αὐτὸν hic atque vers. 19. 20. ter Syrus paraphrastice addit,

addit, ܛܠܝܐ *juventem*, quod semper imitatur Arabs, eodem quoque vocabulo الغلام usus.

21. ἐνεδρεύουσιν αὐτὸν Syrus vertit, *observant illum* ܒܛܘܫܝܐ *in occulto*, eademque voce servata Arabs similiter, يرصدونه في كمين. Idem fere fit v. 30. ubi ἐπιβουλή Syro & Arabi, servato etiam eodem nomine, est, *astus in occulto*.

22. μηδενὶ ἐκλαλῆσαι, uterque, *homo ne sciat!*

23. στρατιώτας etiam hic, & v. 27. 31. vertit Syrus Romanos, similiterque Arabs.

XXIV, 3. τυγχάνοντες διά σου, uterque, *habitantes propter te;* recte quidem, sententiam si spectes, multa enim pace frui, &, in multa pace habitare, idem est.

27. διετίας δὲ πληρωθείσης ἔλαβε διάδοχον ὁ Φῆλιξ Πόρκιον Φῆστον, uterque, *& cum implevisset* (Ar. impletum esset) *sibi biennium, alius praefectus venit in locum ejus, qui vocabatur Porcius Festus.*

XXV, 11. χαρίσασθαι] uterque abundantior est textu graeco, vertitque, *donare ut donum*, seu gratis. Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι, Syrus, *tegmen* Caesaris imploro, Arabs, *asylum* Caesaris imploro.

14. τὰ κατὰ τὸν Παῦλον, uterque, *judicium Pauli*, & ὑπὸ Φήλικος, *a manu Felicis.*

16. Pro, *priusquam accusatus coram facie* (praesentes) *habeat accusatores*, uterque vertit, *priusquam veniat adversarius ejus, & accusaverit illum in faciem.*

20.

20. ἀποςέυμενος, Syr. *cum non stans essem*, Ar. *cum non essem stabilis.*

XXVI, 4. 5. Verba eadem ratione transposuit utraque versio, sic interpretata: *sciunt enim* (Ar. atque hoc sciunt) *ipsi hi Judaei, si velint testari, conversationes meas a juventute, quae fuerunt mihi ab initio in populo meo, & Hierosolymis, siquidem ex longo tempore persuasi sunt de me, & sciunt* &c.

7. λατρεῦον uterque de precibus interpretatur.

8. τί; ἄπιστον κρίνεται παρ' ὑμῖν; uterque: *quid judicatis? nonne oportet credi, Deum excitare mortuos.*

10. κατήνεγκα ψῆφον Syrus, *particeps fui eorum, qui damnabant illos:* Arabs, *socius fui eorum qui perdebant eos.*

11. ἐδίωκον ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις, uterque eadem expressit paraphrasi: etiam in civitates *alias egressus sum*, *ad* eos persequendos.

19. ἐγενόμην ἀπειθὴς uterque, *surrexi ad litem.*

22. ἐπικουρίας τυχὼν τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ, uterque, *juvit me Deus.*

XXVII, 7. Post, *non sinente vento*, uterque paraphrastice addit, *ut recto itinere navigaremus.*

9. Pro Graecis, ἱκανοῦ δὲ χρόνου διαγενομένου, καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, habet Syrus: *& fuimus ibi* tempus multum, *usque ad diem quo transierat etiam dies* jejunii *Judaeorum*, atque erat periculosum *ut* (vel, si) *quis proficisceretur mari.* Sic & Arabs, nisi quod *diei* nomen bis positum non expressit. Ita ille: *& morati sumus ibi*

tempus

tempus multum, usque dum venisset jejunium Judaeorum, *& instaret tempus pavendum ut* (vel, si) *quis proficisceretur mari.*

14. ὁ *καλούμενος εὐροκλύδων*, paraphrasis Syriaca repetito nomine *τυφωνικὸς* vertit, *qui vocatur typhonicus Euroclydon.* Jam Arabs eo nomine omisso, quod solum graeci codices habent, eoque retento, quod solus addebat Syrus: *cujus nomen erat Typhonicus.*

Ibidem ἔβαλε κατ' αὐτῆς uterque, *egressus est contra eos.*

18. σφοδρῶς χειμαζομένων ἡμῶν Syr. *cum surgeret sibi contra nos hiems dura:* Ar. *cum concitaretur contra nos impetus durus.*

21. πολλῆς ἀσιτίας ὑπαρχούσης uterque, *cum nemo quidquam comederet.*

Pro *lucri facere jacturam* uterque paraphrastice habet, Syrus, *cohibiti essemus*, Arabs autem, *aversi essemus a jactura hac.*

22. παραινῶ, uterque, *consilium do:* atque pro εὐθυμεῖν, *ut sitis sine angustia;* item pro *jactura fiet*, uterque neglecta phrasi scripsit, *peribit.*

29. ηὔχοντο, *optabant*, Syrus vertit, ܡܨܠܝܢ ܗܘܘ, quod cum eandem habeat ambiguitatem, ac si latine verteres, *precabantur*, Arabs reddit, *clamabant.*

30. ὡς ἐκ πρώρας μελλόντων ἀγκύρας ἐκτείνειν, uterque justa quidem & vera paraphrasi mentem historici sacri clarius explicante, sed tamen paraphrasi, quae ne verbo quidem uni graeco respondens verbum habet, *ut irent & alligarent navim terrae.*

41. περιπεσόντες εἰς τόπον διθάλασσον, uterque vertit: *& attigit navis locum maris excelsum inter duo profunda maris:* quod enim

enim Arabs loco ultimi vocabuli habet, البر *terrae continentis*, cum sententia cassum sit sine dubio est describentis, pro البحر *maris*.

44. Paraphrastice in medio versus addit Syrus, *transire fecit eos*, & Arabs *transire fecerunt eos*.

XXVIII, 3. καθῆψε uterque gravius etiam quam necesse erat vertit, *momordit*, quamvis scriptor sacer non tradat, Paulum a serpente morsum esse.

5. ἀποτινάξας uterque, *demisit manum & projecit viperam*.

6. Uterque paraphrastice: cogitabant *barbari*: &, quod lapsurus esset mortuus *in terram*.

8. Pro dysenteria uterque *dolorem intestinorum* paraphrastice habet, atque *aegrotabat* pro decumbebat.

11. διοσκούροις uterque *gemellos* dixit.

13. In fine post *Puteolos* uterque addit, *civitatem Italiae*.

15. ἄχρις ἀππίου φόρου uterque, *usque ad plateam, quae vocatur Appius forus*. Primum male, sed communi pluribus interpretibus errore Appii Forum, quae urbs est, pro via Appia habuit: deinde quod Appium Forum in nominandi casu dicendum erat, est ei *Appius Forus*. Ita quidem dici posse, & *forum* & *forus* docet honoris caussa appellandus collega conjunctissimus, GESNERUS in *thesauro* pag. 727: rarius tamen est. Non in utroque concinerent Syrus & Arabs, nisi alter ex altero hausisset. Syrum quidem *forus* scripsisse, non *forum*, minime mirandum, quod graeca vocabula multa in linguam Syriacam irrepserunt, Graeciaeque recentiori φόρος forum dicitur.

τριῶν ταβερνῶν nomen ceu appellativum reddidit Syrus, ܬܠܬ ܟܦܝܢ *tres fornices*, atque ſic & Arabs, cognata quoque voce حوانيت uſus.

16. καθ' ἑαυτὸν *domi ſuae*, uterque, *ubicunque vellet.*

17. Pro οὐδὲν ἐναντίον ποιήσας uterque habet, *nulla in re ſteti contra* populum.

30. Pro, *manſit autem Paulus in ſuo* μισθώματι *biennium*, habent noſtri, *conduxit ſibi Paulus de ſuo* (Ar. *de opibus ſuis*) *domum*, & *fuit ibi duo annos.*

§. IV.

Difficiliores ergo verſionis Syriacae voces ope Arabis Erpeniani explicari poſſunt.

Nec vero Arabica verſio Apoſtolici ab Erpenio edita minoris facienda eſt, Syriacum nobis textum reddens, quam ſi ad ipſam veritatem graecam facta eſſet. Exoptatiſſima potius eſſe debet Syriacae verſionis lectoribus, cum & haec interpolata nonnunquam & corrupta, a filia ſua, quae perantiqui nobis exempli Syriaci inſtar eſſe poteſt recte & critice exiſtimata, caſtigetur & tanquam in viam reducatur, & difficiles nonnullae voces Syriacae ope verſionis Arabicae melius intelligantur.

Iisdem fere defectibus laborat Syriacae linguae cognitio, quibus Hebraeae, noſtra ſaltem qui theſauris Vaticanis non fruimur: non enim de Aſſemanorum aliorumque laude detrahere volo, quibus in tot vaſtis Vaticanae bibliothecae voluminibus non oſſa aliqua hujus linguae ſceletumve, ſed vivam imaginem ac quaſi ſpiritum & ſanguinem videre licuit. Dudum ex vita atque ex foro hominumque conſuetudine exceſſit Syrorum dialectus, in libris ſibi ſuperſtes: quos cum paucos habeamus aere expreſſos, du-

dubia est vocum rariorum complurium significatio. Plurimi nostrum, qui Syriaca tractant, ex sola versione codicis sacri proficiunt, praecipue ante hos viginti annos, cum nulla *Orientalis bibliotheca*, *Ephraimi Opera* nulla Romae prodiissent: minoris vero molis est sacer ille codex, quam ut divitias linguae omnes capere queat, nec fieri potest, quin multa habeat ἅπαξ λεγόμενα, derivata multa, quorum primitiva ex eodem decerpi non possunt. Nec multum nos juvant vocabularia Syriaca ex unius fere codicis sacri lectione concinnata, & ne satis quidem diligenter aut erudite, sed ope nonnunquam miserae alicujus versionis latinae; illis exceptis, quae a Syris ante octo & quod excurrit secula scripta in bibliothecis latent. Egregie ergo in hac aut literarum aut patriae paupertate nobiscum agitur, si ex Arabe Erpeniano disci possit vera difficiliorum vocum interpretatio. Exemplis rem illustrabo.

Act. II, 37. graeca κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ Syrus reddit, ܐܬܬܪܝܘ ܒܠܒܗܘܢ. At quid significat ܬܪܝ? In polyglottis redditur *ingemuerunt corde suo*: sed misera illa latina versio, infinitis ignorantiae socordiaeque vestigiis turpis, non digna est, quae a nobis audiatur, aut cui quidquam auctoritatis tribuamus. GUTBIERIUS in suo lexicon vertit, *compunctus est*. Nempe ex Graecis conjecturam faciebat, oblitus, interpretis non esse, ut semper propriam vim vocum exprimat, sed licere illi aliis verbis uti, origine diversis. Lepidissimum sane caput existimaretur, si quis ex eo, quod doctrina de compunctione germanice dicitur, der Artickel von der Reue, efficeret, vim propriam Germanici Reue in pungendo & vulnerando sitam esse. Sed quae ad nostras linguas translata ridicula & vix pueris digna videntur, illa in hac literarum Orientalium infantia a viris doctissimis severa fronte

te

te asseverantur. Nec vero his rectiora habet, cujus diligentiam in vocabulario Syriaco concinnando nunquam non laudabo SCHAAFIUS: qui postquam tradidisset ܐܬܬܢܝܚܘ esse *stupenda*, tamen nostrum verbum reddit, *compuncti sunt*. Utramque autem interpretationem falsam esse vel inde colligo, quod in reliquis Orientis linguis nec *gemendi* nec *vulnerandi* significatus verbo נחה subjectus est. Consulamus ergo Arabem Erpenii, ejus temporis interpretem, quo nondum deleta lingua Syrorum erat. Is vero vertit, خفقت *palpitarunt corda illorum*. Recte, & vero etiam proprie, quamvis hoc ab interprete exigi non possit. Verbum enim נחה, minus in bibliis Syriacis frequens, Arabibus significat, *cito moveri*, inprimis *retro citroque*, a quo motu *alae avium* جناح dicuntur Sur. VI, 38. Hinc & palpitare illius cor dici potest, qui recordatione scelerum suorum cohorrescit, & res stupendae, quas audientes tremimus palpitamusque.

XII, 23. γενόμενος σκωληκόβρωτος *a vermibus corrosus*, vertit Syrus ܢܦܩ ܡܢ ܬܘܠܥܐ quod in polyglottis exponitur, *ebullivit vermibus*, ex ingenio scilicet atque conjectura latini harioli potius quam interpretis. GUTBIERIUS in vocabulario scribit, ܢܦܩ *ebullivit*, it. *arrosus est*. Illud falsum; haec conjectura felicior quidem, sed tamen conjectura. Confirmat illam Arabs Erpenii, qui ex Syro vertit انخلع *abstractus est a vermibus*: confirmat Arabismus, cui نقف est, *carie rodi*. Aliquid hujus rei vidit SCHAAFIUS qui in lexicon p. 558. ܢܩܦ vertit, corro-

corrosus est, illudque cum Arabico فرق confert, quod ipsi est, *frangere* & *comminui*, licet nec de gravi Arabis Erpeniani auctoritate quidquam monuerit, nec aptissimam nostro loco Arabici verbi significationem legerit.

XIII, 10. Non Syriacae modo versioni, sed ipsi textui graeco aliquid lucis affundit Arabica versio. Graeca sunt: ού παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς κυρίου τὰς εὐθείας; *non desinis pervertere vias domini rectas?* Viae rectae mihi sunt vera religio, oppositae longis variisque superstitionis erroribus. Ὁδὸς quidem saepe, Lucae imprimis, religionem significat, orientali phrasi Arabibus frequentissima, quibus سبيل religio est, proprie, via. Atque hic quidem Arabs ea voce in vertendo usus est, quae me primum in verae explicationis vestigia induxit; viam enim *rectam* vocat مستقيم quo vocabulo veram religionem Arabes designant. Lege Sur. I, 5. *dirige nos in viam* (i. e. religionem) المستقيم *rectam, neutiquam vero errantium.* Pervertitur autem vera religio, cum perversae contorsionis & erroris accusatur.

XVIII, 24. δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς: vertit Syrus, ܡܕܘܩ ܗܘܐ ܒܟܬܒܐ, & *Mdok erat in scripturis.* Hoc vocabulum varii varie explicant. In bibliis polyglottis conjectura ex orationis serie petita vertitur, *peritissimus*: at in vocabulario Castelli heptaglotto, col. 679. *prospiciens, argutus, peritus*, ex derivatione a verbo ܕܘܩ speculatus est: sic & Gutbierius in vocabulario pag. 26. explicat: *oculatus in scriptura.* Haec

cum

cum sciret SCHAAFIUS, superioribus facile diligentior, aliam viam ingressus pag. 108. lexicon Syriaci scribit: *accuratus, argutus, subtilis, correctus erat in scripturis. Et Rabbinis* ספר מרויק *est liber accuratus & correctus.* Ex his quem sequare non statim apparet. At Arabis Erpeniani auctoritas, minime spernenda, quia vixisse videtur antequam plane vernacula esse desineret lingua Syriaca, Castellianam & Gutbierianam explicationem confirmat; vertit enim *videntem in scripturis.*

XX, 10. Συμπεριλαβὼν Syrus vertit ܥܒܩ, quod ἅπαξ λεγόμενον misere torserunt interpretes. CASTELLUS in lexicon Heptaglotto confert Hebraicum חבק, satisfactum putans lectoribus, si ex tribus literis una conveniat, duabus discordantibus, quamvis exemplo nullo certo evictum sit ע cum ח ab Orientalibus permutari. Ita si quis verbum latinum semel sibi lectum explicare velit, eaque una de caussa quod ejus significationem ignoret, aliud in subsidium vocare verbum, unica litera simile, quis illum audiat? Scio literas inter se permutari cognatas posse: verum hoc non eo valet, ut id semper factum censendum sit, si ignoremus, quid vox semel occurrens significet; sed tum locum habet grammaticus ille canon, cum aliunde constat, alteram vocem ortam ex altera levi aliqua detorsione esse. Et tamen eadem habet SCHAAFIUS, cujus aliquoties diligentiam laudans nunquam tamen ingenii acumine delectatus sum. In eo quidem erratum non est, quod ܥܒܩ significet *amplexari*: his tamen lexicographis, qui tam se turpiter dant, credere nolim, quod ipsi cum manifesto errore uno tanquam calami ductu effuderunt. Neque grae-

graecus textus rem omnino conficit: ex eo enim si Syriacam versionem interpretari semper velis, toties errabis quoties sive aliud verbum Syrus legerit, sive aliter illud, quam tu, intellexerit. Recte tamen hoc verbum ex graeco συμπεριλαβὼν explicari, amplexumque significare Arabica me versio docet, quae illud iterum transtulit عانقه *collum ejus amplexus est.* Ex propria quidem vi est, iterum iterumque amplexando quem & osculando retinere, quod ex Arabico عقق & عقعق planum facere possem, si hic locus esset.

Nempe non eo solum valet Arabica versio, ut vocabularia Syriaca in viam reducat, aut lites eorum dirimat, sed & ut confirmet quae illa magno consensu aliud ex alio descripserunt. Illum enim consensum linguae peritus, & experientia edoctus qualia sint vocabularia Syriaca hucusque edita, tanti non faciat, ut dubitare desinat. Exempla peti possunt ex Act. VII, 57. XIV, 5. (ܪܓܡܘܗܝ) XVII, 17. (ܡܣܬܥܪܝܢ) sed de quibus nihil addo, postquam exemplum in uno verbo praeivi.

XX, 13. Vocem ܒܡܐܣܘܣ, cui in graeco textu nihil respondet, *portum* fere reddunt interpretes ex sola conjectura, alii ecclesiam. Lege SCHAFII Lexicon pag. 138. At Arabs, qui eodem loco vocem habet supra Graeca redundantem, eamque ex Syro vertisse censendus est, quam ex graeco sumere non poterat, vertit PROPE *Assum.* Atque sic quidem, ut interpretatur Arabs, Syriacam vocem accipere per derivationem licet; nempe a ܥܡ *convenit*, PROPE dici potuit, ubi nempe cum illa urbe tanquam conveniebatur.

XXIII,

XXIII, 26. κρατίστῳ Syrus vertit ܐܪܝܣܛܐ, quod & facit Luc. I, 3. & Act. XXVI, 25. Male illud in bibliis polyglottis latine redditur, bis quidem, *victoriose*, semel, *celeberrime*, ex quibus hoc ferri possit, illud quidem omnino a vocabuli graeci significatu, quem exprimere Syrus voluit, abest. Κράτιστος est *optimus*, seu ex antiqua & optima gente, prorsus latina significatione graeci vocabuli. Id Syrus reddit aptissimo vocabulo ܢܨܝܚܐ, quo generis nobilitatem designari confirmat Arabs, qui illud ipsum reddidit الشريف *nobilis*, a شرف *nobilitate vicit*. Nempe נצח cujus prima vis in puritate designanda est, docente id Alberto Schultensio, puro tanquam & generoso sanguini nomen dedit.

XXIV, 3. διὰ τῆς σῆς προνοίας Syrus vertit ܒܡܫܩܠܐ ܕܝܘܒܠܟ proprie, *portatione oneris tui*, i. e. molestia curaque tua. Sic quidem vertit Arabs *molestia tua*, facile praeferendus polyglottis Schafioque, quorum hic habet, *moderamine judicii tui*, illa, *sub functione muneris tui*.

XXIV, 5. λοιμόν, *pestilentem* reddit Syrus ܡܚܒܠܢܐ, cujus vocabuli significatio non in promtu est. Non male quidem pro eo in polyglottis legitur, *vastatorem*, nec tamen liquet, hanc veram nominis vim esse. Schafius quidem p. 583. vocabularii ad hoc vocabulum scribit: *corruptor morum*, *stuprator*; (interrogare eum liceat, credatne, ex mente Syri interpretis Paulum stupri accusatum a Iudaeis esse? sed attexamus reliqua Schafiana:) *vastator: Castellus. Etiam redditur*, *mactator*, *jugulator*, *homicida*,

cida, *trucidator*, *sicarius*, *perniciosus*, *pestilens*, *pestiferus*; *tanquam ab Hebr.* שדד. Nonne suspectae sunt hae lexicographi divitiae in significatu vocabuli *ἅπαξ λεγομένου*? Instabilis & incertus haeret, qui plures significatus eidem vocabulo semel occurrenti aptos censet. Est vero *praedo*, sive, ut non male Castellus verterat, vastator. Sic quidem Arabs intellexit, مفسدين vertens, cujus vocabuli in latrociniis propria vis est. Nempe *latrones* & Graecis & Latinis pestis dicuntur: videturque Syrus Tertulli accusationes ita intellexisse, ac si Paulum latronibus annumeraret, libertatis & Messiae brevi venturi praetextu Iudaeam infestantibus.

§. V.

Caussae dissensus versionum, Syriacae & Arabicae Erpenianae, mendae sive hujus sive illius, & laciniae Arabicae assutae ex alia versione Arabica Copticae filia.

Syriacam versionem librariorum negligentia, atque etiam nimia diligentia corruptam nonnunquam ac quibusdam locis interpolatam esse, dubium critico videbitur nemini. Est hoc commune omnium librorum fatum, a quo cum ipsa veritas graeca novi testamenti tuta non fuerit, quis ullam versionem ab omnibus mendis puram castamque pronuntiare sustineat? Has sive mendas sive interpolationes primus duce versione Arabica investigare docuit Pater meus, CHRISTIANUS BENEDICTUS MICHAELIS paragrapho 77. tractationis criticae de variis lectionibus N. T. aliqua etiam, sed pauca adscribens exempla ex actibus apostolicis petita, Act. II, 26. 29. 46. 47. IV, 5. V, 10. VI, 7. VII, 32. 41. Idem sub finem ejusdem paragraphi largam se aliis messem reliquisse ostendit, in quam falcem deinde immittam. Recte enim & jure ex Arabica filia matrem Syriacam nonnunquam castigari emendarique posse, omnino Patri Optimo assentior: certe si Arabica

bica versio illis locis, ubi eam ex Syriaca factam esse constat, cum graecis contra Syriacam conspirat, dubitari vix potest, quin aliter olim in Syriacis exemplis lectum fuerit. Quod si veritatis graecae ipsius lectio dubia sit, atque aliam lectionem sequatur Arabs quam Syrus, non quidem certo colligimus, textum Syriacum depravatum esse, cum & Arabica ejus filia naevos contrahere potuerit; dubia tamen sit Syriacae versionis lectio, ejusque suffragium in judicanda lectione graeci textus minoris faciendum est. Saepe etiam, si non affirmare, suspicari tamen & conjicere licet, filiaene an matri naevus abstergendus sit.

Sunt autem ex his erroribus, quas Arabica versio arguit, indicandis paragrapho VI, aliqui tam elegantes eruditique, ut nonnullis in locis Syriacam nostram simplicem ex recentiore & ornatiore (*) versione PHILOXENI aut THOMAE HERACLEENSIS interpolatam non suspicarer sed pronuntiarem, (**) si has ver-

(*) Ita sentiebam cum haec scriberem. Iam dubitare cogor sitne ex his versionibus altera certe, Philoxeniana, ornata magis & paraphrastica, quam vulgata. *Gloceestrius* enim *Ridley* Philoxenianae versionis possessor in literis ad me Calendis Majis 1753. datis, *matrem, inquit, tam presse & κατὰ πόδας sequuta est, ut verba ipsa & verborum structuram sub adspectum subjiciat, quod in simplici paraphrasi frustra quaesiveris.* Verum haec ille de Philoxeniana, non de Heracleensi versione.

(**) Fuerunt, qui omnino nos Philoxenianam versionem pro simplice seu vulgata Syriaca legere, crediderunt, quos olim refutavi in *introductione mea ad tabulas novi foedris* (Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes) §. 51. idemque copiosius fecit Pater meus, in notis *tractationi* Summe Reverendi BENGELII *de Sinceritate N. T. Graeci tuenda* subjectis, p. 5-13.

Iam

versiones mihi contigisset oculis usurpare, easque congruere cum vulgari Syriaca suspectis illis locis intelligerem. (*) At latent illae in thesauro Vaticano, latebuntque, nisi aut auspiciis Benedicti XIIII, cura ASSEMANORUM in lucem prodierint, (quibus nominibus eruditioni universae faustis ipsa nostra ecclesia hoc beneficium lubens debebit, debere gestiunt literis orientalibus tincti,) aut, quod honorificentius etiam optabiliusque protestantium ecclesiis censeo, GLOCESTRIUS RIDLEY, eruditus ecclesiae Anglicae presbyter, eximium quod possidet Philoxenianae versionis exemplum typis describi curet.

Nec tamen semper librarii Syriaci accusanda ipsaque in suspicionem vocanda versio est, si quando ab Arabica dissidet: Sunt enim & aliae hujus dissensus caussae. Supra jam monui, potuisse & Arabicum N. T. a librariis male haberi, quod nec raro factum est: sed & hoc tenendum, Arabem nostrum valde paraphrastico esse ingenio, multumque sibi in circumloquutionibus indulgere, ne statim quae in illo redundant deesse in Syriaca versione

Iam autem nullus huic suspicioni locus est, postquam & IOANNES IACOBUS WETSTENIUS Ridleyanum exemplum versionis Philoxenianae se vidisse, illudque ab edita versione Syriaca discrepare testatur; & ipse in *relationum de libris novis fasciculo III* pag. 97. exemplo ex BLANCHINI *evangeliario versionis latinae antiquae* desumto docui, aliud Heracleensis versionis filum esse, atque illius, quam Widmanstadius edidit, quaque vulgo utimur. Vide & earundem relationum fasciculum II. p. 360. 361. 362.

(*) Vide tamen, quae scripsi §. VII. ad Act. V, 10. VII, 18. 25. X, 41. XII, 10. XIII, 43. XV, 34. XVI, 4. XIX, 1. Congruit vero cum mea conjectura, quod idem paragraphus habet ad cap. XX, 26.

sione culpaque librariorum excidisse existimemus. Sunt & Arabi sua idiomata, quae facile ab imperitis primaque vice illa legentibus pro alius lectionis argumentis habentur, toties illa recurrentia, ut difficile creditu sit, semper eum alia legisse. Sic Act. I, 4. pro, *Hierosolymis*, habet, *domo sanctuarii*: nec tamen templum intelligit, sed urbem ipsam hoc proprio nomine ab Arabibus dictam: idemque facit v. 12, 19. II, 5. 43. V, 28. VIII, 14. 25. 27. saepiusque, ut adscribere plura loca pigeat. Item cap. I, 15. ubi in Graeco πέτρος, in Syro (pro more ejus) ambo sunt apostoli nomina, *Simon Cephas*, Arabs habet, *Simon electus*. Sed hoc non lectionis sed paraphrastici est interpretis, qui idem facit cap. II, 14. IV, 8. 19. VIII, 14. *Electus* autem Arabi est, qui Latinis *sanctus*, quod discitur ex Act. II, 27. Cavendum etiam, ne dum ex versione filia jure nonnunquam matrem corrigimus errantemque in viam reducimus, semper idem facere ausi majorem versioni ex Syriaca factae quam ipsis codicibus Syriacis tribuere auctoritatem videamur. Medii quasi inter utramque, neutrarumque partium esse debemus, facile propriis cuique loco argumentis intellecturi, in utra naevus sit.

Sed est alia etiam gravior dissensus caussa, quam non sine aestu & errore tandem deprehendi: nempe quod versionis Arabicae Erpenianae laciniae quaedam non ex Syriaco sed ex Coptico N. Testamento versae sunt. Quod quomodo deprehenderim narrabo. Cum in explicando novis auditoribus capite XII. actorum apostolicorum versarer, illosque statim sub initium scholarum Syriacarum docuissem, versionem Arabicam Erpenianam ex Syriaca factam, ejusque rei argumentum perpetuum fere utriusque versionis concentum esse, mirari atque aegre ferre coepi, toties in

eodem

eodem capite easdem disrepare, ut jam dictorum meorum fides ipsi mihi, quidni auditoribus, laborare inciperet. Docebam tamen meos, in superioribus me capitibus majorem concentum observasse, qui cum mox rediret in sequentibus pericopis, facile quidem persuadebam, quae senseram: succedebant tamen identidem laciniae valde a Syriaco textu discrepantes. Mirabar quid rei esset: tandem in mentem mihi venit, esse etiam aliquas Arabicas versiones Coptici Novi Testamenti, easque Copticis codicibus manuscriptis fere adjectas esse teste RICHARDO SIMONIO. Memineram, versionem Apocalypseos Arabicam, quam idem ERPENIUS edidit, a Patre quidem meo recte ac jure Copticae versionis filiam haberi, (*) idque me aliis etiam consensus exemplis intelligere, at tamen observare, eandem insigniter nonnunquam cum Syriaca concinere, (**) ut filia utriusque videretur. Con-

fere-

(*) Vide Patris mei *tractationem criticam de variis lectionibus N. T.* §. XXIX. exemplisque ab illo allatis adde, Apoc. VI, 9. ubi Syrus post *μαρτύριον* addit, *τοῦ ἀρνίου*, at cum Copto omittit Arabs. Lege etiam Apoc. II, 17. (*φαγεῖν ἀπὸ*) V, 3. VI, 17. (Syr. *αὐτῶν*) VIII, 13. *ἐν μεσουρανήματι*, IX, 13. *μίαν*, ubi cum Copto contra Syrum facit Arabs.

(**) Insignis videbatur locus in hanc rem Apoc. II, 13. ubi Syrus, a variarum lectionum collectoribus non intellectus, sine dubio legit *ἀντείπας*, quod Graecos codices facere notum est. Habet nempe [illegible] (ita quidem est in bibliis polyglottis) *contradixisti*. Aspera quidem, nec tamen inepta Apocalypsi Ioanneae lectio, quae nominandi casum pro reliquis ponit omnibus, observante alia occasione S. R. BENGELIO pag. 778. Nempe ex anomalia *ἀντείπας ὁ μάρτυς μου ὁ πιστὸς* est, non quidem ut

ferebam ergo cum his ipsis pericopis actuum apostolicorum Copticam versionem, meisque jam oculis credebam, ubi a Syro valde per aliquot versus dissidet Arabs, Copti eum similem asseclamque esse, nisi quod per caput XI. & XII. ab hac etiam discrepans, magis Graecus videretur. Liquere ergo arbitrabar, has lacinias ex Copto, unam forte & alteram etiam ex textu graeco versam esse: non quasi idem interpres secutus jam Syrum, mox Coptum esset, sed quod librarius alias pericopas descripserat ex Arabicae Syriacae, alias ex Copticae filia, sive casu id factum sit, atque quod ignoraret utramque versionem natalibus interpretationibusque differre, sive quod codex quem describebat versionis Arabicae hiaret, ex aliis codicibus supplendus. Hanc ergo mihi legem criticam statuo: *si totae discrepent pericopae, dissensum illum neutrius versionis mendum arguere, sed alios Arabicae natales: si conspirent reliqua in peripoca, suspicionem esse, aliquid sive in hac sive in illa mendi esse ubi discrepant.* Concinantne autem totae peri-

ut Syrus vertit, *contradixisti servo meo fideli*, qui enim testi Christi fideli contradicere idque faciens Christum non abnegare potuisset? sed: *quo e regione testis mei fidelis dixisti*, ad judicem cum illo citatus, ut mutuis illum testimoniis oppugnares & oppugnarere. Illo in summo periculo angelus ecclesiae fidem non abnegaverat. Sed haec utcunque sint, quae de verborum sententia disputo: Arabs quidem Erpenii habet ut Syrus, قاومت *oppugnasti*. Alia omnia vertit Coptus, si fides est latinae Wilkinsii versioni, *prodidisti*. Quodsi tamen alia vis est verbi Coptici, fateor ea valere non posse, quae de apocalypseos versione scripsi. Levius argumentum peti poterat ex Cap. VIII, 12. ubi Arabs cum Syro duplex habet ἀμὴν, ex quibus Coptus superius omittit.

pericopae an discrepent ex paragraphis II. III. VI. facile judicabunt lectores. Exempla non adscribo, ea enim sequenti paragrapho servavi.

§. VI.

Neque tamen sive vacat, sive gratum lecturis videtur, omnia hoc paragrapho explicare quae ex actibus apostolicis afferri possent exempla dissensus utriusque versionis. Non paucis propositis, viam quasi lectori demonstrabo: reliqua ex paragrapho VII. petet, capitum versuumque modo numeris indicata. Adjiciam nonnunquam meum qualecunque de dissensu indicato judicium, naevusne in Syriacis sit an in Arabicis exemplis, an pericopa integra dissidiis plena non ex Arabe versa sit: neque tamen semper hoc me facturum promitto, injucundum fore credens lectoribus si semper doceantur, quod sua jam sponte intelligunt. *Exempla dissensus utriusque versionis.*

I, 12. Pro σαββάτου ὁδὸν, *sabbati viam*, in Syriaca versione legitur, *septem stadia.* Est haec non verborum interpretatio singulorum, sed liberior sententiae declaratio: septem enim aut octo stadiis sabbati via ex moribus Judaeorum absolvebatur. Cum autem Arabs verterit, *viam sabbati*, videtur olim Syriacus interpres ad verbum graeca reddidisse, eaque paraphrasis, quam nunc legimus, ex margine, cui docendi lectoris gratia interpretamentum inscriptum erat in textum irrepsisse.

13. 15. 21. Vide §. VII. idque semper fac, quoties numeros capita versumque designantes, sine textu adjecto, pro exemplis pono.

Mira non solum, sed & ineptissima sunt, quae in textu Syriaco Act. II, 9. legimus, ubi *Elamitae* quos graeca auctoritas habet,

bet, in ܐܠܢܝܐ *Alanos* mutantur. Manifestus error. Nota jam fuit Elamitarum gens, de qua BOCHARTI geographia ſacra plura dabit, nota inquam Moſi ultimo hiſtoriae auctori, cujus tempore Alanorum nomen auditum, atque tot deinceps ſeculorum ſilentio tectum & ignobile fuiſſe, nemo dixerit. Lege Geneſ. X, 22. At vero hic error, puero dignior quam viro, non interpretis Syri eſt, ſed recentiorum librariorum: Arabs enim noſter ex ipſo textu Syriaco Alanos nullos, ſed الاعميون *Elamitas* expreſſit. Male vero SCHAAFIUS illum Syri errorem diſſimulaturus, licet in textu Syriaco haberet ܐܠܢܝܐ *Alanos*, in verſione tamen Latina *Elamitas*, ne monito quidem lectore, interpretatus eſt.

II, 15.

22. δυνάμεσι καὶ τέρασι καὶ σημείοις) Secundum ex his vocabulis abeſt a textu Syriaco, qualem nunc habemus: veſtigium autem illius olim lecti in Arabica noſtra cernitur, quae tribus uſa vocabulis ſecundo loco ponit جرائح *prodigia.*

26. 39. 43. 45. 46. 47. Eſt haec pericopa a. v. 39 usque ad 47. prima forte lacinia, non quidem ex alia verſione aſſuta, (verſus enim 42 inſigniter cum Syro concinit) interpolata. Nec tamen Copticae hic ſimilis eſt, ſed potius ex latinizantibus codicibus vitium manavit.

III, 7. 13. 22. 23. 25.

IV, 5. 12. 23. 27. 30. 33. Haec fere levia ſunt, & menda jam hujus jam illius verſionis, conſenſu majore in eadem pericopa compenſata.

IV, 36. Pro Ἰωσῆς male habet Syrus, *Ioseph*: & tamen Arabs recte nomen *Ioses* expressit. Miror, Millium etiam Arabi lectionem Ἰωσὴφ obtrudere, cum uterque Arabs, & qui in polyglottis, & qui ab ERPENIO editus est, *Ioses* scribat.

V, 3. 9. 10.

VI, 3. 7.

VII, 3. 11. 15. 18.

21. Post, ἐκτεθέντα δὲ αὐτὸν, expositum vero illum, solus omnino Syrus addit, *a populo suo*, sive, ut in codice manuscripto legit Wetstenius (p. V. proleg. in epistolas Clementis Rom.) *a matre sua* quod utrumque cum Arabs non habeat, marginem, aut justo diligentiorem manum librarii sapit. In omni enim hac pericopa magnus alioquin apparet utriusque versionis consensus.

32. 41.

43. Pro Ῥεμφὰν, Ῥαιφὰν, aut (quod IABLONSKIO, testi rerum Aegyptiarum locupletissimo placet) Ῥομφᾶ, Syriacum N. T. pessime habet, ܪܕܦܘܢ *Radphon*, quod nullis omnino suffragiis hunc locum occupavit. Arabs vero noster scripsit رافان *Raphan*, unde apparet, Syrum interpretem ipsum, qui certe non potuit *Radphon* scripsisse, eandem expressisse lectionem quam codex Petavianus tertius & IUSTINUS, Ῥαφάν. Mirari subiret, qua ductus conjectura scribat MILLIUS, Syrum videri legisse ῥεφὰν, nisi Syriacarum literarum expers ex latina versione sua hausisset.

45. Ante verba, *usque ad dies Davidis*, in Syriacis nostris legitur ܘܐܬܕܒܪ ET DUCTUM EST (seu per manus traditum taber-

 nacu-

maculum.) *usque ad tempora Davidis.* Videtur illud in textum Syriacum a recentiore manu intrusum ad exprimendam vocem διαδεξάμενοι, quae ex initio commatis negligentia librarii exciderat. Intrusum inquam: nec enim habet Arabs Erpenianus, & vero idem διαδεξάμενοι suo loco positum expressit: *cum accepissent illud.* Forte recentior aliqua versio Syriaca, aut marginis scriptura, verbum & suo loco exturbavit, & alieno loco versioni simplici illud interpolando reddidit.

47. Syrus, isque solus, omittit αὐτῷ, quamvis Millius id in variis lectionibus non indicet. Habet vero Arabs.

52. Arabs interpolatus est ex alia versione Copticae filia. Vide §. VII.

59.

VIII, 8. 16. 32.

23. Pro graeco χολὴν πικρίας, *fel amaritudinis*, nescio quo casu apud Syrum legitur, ܟܒܕܐ ܡܪܝܪܬܐ *hepar amarum*: & tamen recte Arabs noster reddidit مرارة المر *fel amaritudinis.* Crinesius quidem Syriacum vocabulum per Resch legit, ܟܒܪܐ, quod a quibusdam *ira* & *fel* vertitur. Vide Schaafii lexicon p. 257. Nec tamen hoc ipsum mihi satisfacit, quia nullo nec exemplo nec argumento constat, ܟܒܪܐ *fel* significare, neque Crinesius codicem hujus lectionis testem citat ullum. Hoc tamen ex Arabe effici posse videtur, aliquod olim non hepatis sed fellis nomen in Syro lectum fuisse: quod cum alibi Syro ܡܪܪܬܐ dicatur, ut Rom. III, 14. atque ab Arabe cognato vocabulo

bulo مرارة reddatur, crediderim, Syrum vertisse, ܡܪܪܬܐ ܡܪܝܪܘܬܐ. Hoc unum addo, ne cui TREMELLIUS fraudi sit, ܚܡܬܐ *fel* reddens, eum suo ingenio vocabulum hac significatione induisse, ne a veritate graeca discrepare nimium videretur.

IX, 11. 17. 23. 28. 29.

29. ἑλληνιστὰς circumloquutione exprimit Syrus, *Iudaeos, qui graece noverant*; at eam omittit Arabs, habetque, aut *graecissantes* aut *graecos*. Videtur ergo illa circumloquutio sive ex marginis interpretatione, sive ex alia versione Syriaca in textum Syriacae simplicis translata: quod eo est veri similius, quia Syrus eandem vocem graecam nec c. VI, 1. nec XI, 20. tali paraphrasi exprimit, sed simpliciter ܝܘܢܝܐ *graecos* vertit.

32. Pro διὰ πάντων in Syro legitur, *per civitates*, atque in fine versus post *Lyddae* nomen, pro more quidem interpretis, additur, *civitate*. Cum autem hoc omittat Arabs, atque pro illo habeat, *per omnia loca*; recentiora haec assumenta videri possent, nisi per aliquot ab hoc versus Arabica a Syriacis discreparent. In universum tamen sciendum est, vocabula illa geographica, *regio*, *urbs*, *insula*, quae Syrus in plebis usum subjungere nominibus propriis solet, ab Arabe ut plurimum exprimi, saepe tamen & negligi, ut paraphrasticis his laciniis aliis aliae antiquiores in Syriaca versione videantur.

33. ἐκεῖ solus Syrus omittit, habet Arabs.

34. στρῶσον σεαυτῷ paraphrastice in Syriaca versione legitur, *compone lectum tuum*. Expressius Graeca refert Arabs: *sterne ipsi tibi*. Ne cum Copto quidem, sive hic sive versu 32. congruit

H 2

gerit Arabs, si fides est WILKINSII versioni latinae; (ipse enim Coptica nondum intelligo.) Timide tamen WILKINSIUM ducem sequor, eorum memor, quae in thesauro la Croziano & LA CROZIUS & IABLONSKIUS de ejus versione judicarunt. Illum tamen si audias, versu 32. Coptus habet: *cum pertransiret omnes*: atque hic: *extende te*, nempe in lecto.

36. Syrus omittit, ἣ διερμηνευομένη λέγεται Δορκάς, *quae ex interpretatione vocatur Dorcas.* Cum vero habeat Arabs Erpenianus, jam cum Syro iterum in reliquis conspirans, videntur haec non ab ipso Syro interprete, sed a sciolis librariis omissa, quibus inane & supervacaneum videbatur, nominis, quod Syrus quilibet intelligeret, interpretationem addi.

Hoc mihi exemplum omissae interpretationis vocabuli Syriaci cogitanti jam addubitandum videtur de eo, quod Pater meus in tractatione critica de variis lectionibus N. T. §. 50. scripsit: *Syrum authentica scholia, vocibus Ebraicis atque Syriacis in N. T. adjecta omittere, ubi voces interpretandas Syris ex sua lingua jam notae sint & intellectae:* quamvis ejusdem audaciae Syrum in introductione in tabulas novi foederis pag. 208. reum egerim. Forte enim crimen hoc non interpretis est sed librariorum editionumque. Utinam nobis esset versio Arabica evangeliorum ex Syriaca facta, ne dubitandum nobis esset, certi quid habere cupientibus! Persica enim, quae ex Syriaca facta ei concinit locis a Patre meo citatis, forte non illius saeculi antiquitatisque est, ut rem liquidam esse demonstret. Hoc tamen vicissim fateor, minorem hic vim esse argumenti ab Arabica versione petiti, quod in versibus superioribus valde a Syriaca dissenserat.

42. Pro τῆς ἰόππης in Syriacis nullo alius versionis codicisve suffragio legitur, *in tota civitate.* At ipsum nomen Ioppes recte

recte expressit Arabs. Sequens etiam comma, liberius Syriace versum, ad verbum expressum legitur Arabice.

X, 2. Naevus in Syro est.

3. Syrus transponit verba, quae eodem ordine cum textu graeco expressit Arabs.

4. Syrus paraphrastice ante *αἱ προσευχαὶ* addit, *angelus*, & v. 5. post *Ioppes* nomen, *civitatis*. Utrumque, ut in graecis, ita in Arabe desideratur. Haud scio, an haec tota pericopa ex alia versione Arabica sit: crebra enim utriusque versionis dissidia ante versum 22. nullus earum consensus distinguit, qui aliquid momenti habeat; atque etiam a versu illo crebriora sunt dissidia quam consensiones.

7.

8. Syrus post, *omnia*, addit, *quae vidit:* & v. 11. post *καθιέμενον*, *ex caelo*. Omittit Arabs.

18. Syrus post, *clamantes*, addit, *ibi*, nullo codice concinente: non habet Arabs.

20. 21. 22. 23.

24. *ἀναγκαίους φίλους*, Syrus vertit, *amicos* ET *dilectos*: sed illud ET non habet Arabs.

28. 30. 33.

36. *εἰρήνην*, *pacem*, duplici vocabulo elocutus Syrus est, ܫܠܡܐ ܘܫܝܢܐ, *pacem & tranquillitatem*. Arabs unico nomine utitur.

41. 43. *διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ* prorsus a Syriaco textu abest, & *εἰς αὐτὸν* in fine versus redditum est, *in nomen ejus*: Arabs graecum contextum genuina imagine refert.

44. Neſcio an & hoc ad diſſenſus Syri Arabisque referre debeam, quod pro graeco ἐπέπεσεν, *incidit*, Syrus & hic & c. XI, 15. habet ܐܓܢܬ *habitavit*, Arabs autem حل *deſcendit*. Non liquet: quia enim idem verbum Arabibus etiam eſt, *diverſorium petere*, poterat hoc verbo Syriacum qualicunque ratione exprimi.

47.

In tanta jam exemplorum copia, quibus diſcrepare Arabem a Syro in hoc atque ſequentibus capitibus, usque ad initium decimi tertii, conſtat, neque ERPENIUM credo neque Patrem meum de hac lacinia confirmaturos fuiſſe, quod recte de reliqua verſione aſſerunt, eam ex Syriaca factam eſſe. Atque in his omnibus, quae verſu quarto usque ad quadrageſimum ſeptimum excerpſi, cum Copto facit Arabs, niſi quod latinizantem lectionem verſus 41. neque Syro neque Copto debet. Videtur ergo haec tota, & quae ſequitur, lacinia ex alia verſione Arabica eſſe, Copticam interpretante. Et tamen paragraphos II. & III. relegenti non pauca occurrent, in quibus inſignis eſt per caput X. XI. XII. Arabicae noſtrae cum Syriaca conſenſus ac contra Copticam conſpiratio (*), quae caſu exiſtere vix potuiſſet, Arabicaeque originem Syriacam arguit. Quin in ipſo capite XIII, in quo ſenſim in amicitiam redeunt verſiones noſtrae, diſſenſiones conſenſionibus mixtas videas. Quod cogitans ſuſpicor, librarium cum codex deſcribendus hiaret per aliquot verſus, forte a verſu 4 usque ad 22, illam pericopam totam ex alio codice Coptico-Arabi-

(*) Nempe in quibus cum Syro congruit Arabs c. X, 22, 27, 45. XI, 18. 23. 28. XII, 4. 5. 6. 20. pro iis alia omnia habet Coptus. Vide §. III. & confer WILKINSII verſionem latinam Coptici Novi teſtamenti.

Arabico descripsisse: deinde cum suo codice jam iterum uti posset, utrumque per aliquot capita conjunxisse, alteramque versionem ex altera prout ipsi placebat correxisse, sive, ut verius dicam, utramque confudisse, donec tandem molesto labore fatigatus sensim ad solum eum codicem rediret, quem primum sibi describendum sumserat. Ut vero lectores judicare ipsi possint, eane versio Arabica quam suo codici miscuit librarius ex Coptico an ex Graeco exemplo facta sit, hanc mihi legem statuo, ut per caput XI. & XII. indicem, si Arabs a Syro dissidens cum Copto non congruat: quod si nihil adscripsero, sciant lectores, cum Copto consentire. Iterum vero iterumque profitendum est, me Copticam linguam nondum intelligere quamvis ejus discendae avidum, adeoque de Coptico N. T. ex sola DAVIDIS WILKINSII versione latina sententiam dicere posse.

XI, 1. 3.

4. Syrus aliqua omittens, ita habet: *& incepit Petrus, unum post alterum dicere illis:* at graecis pressius haeret Arabs: *& incepit Petrus narrare illis verbis suis, quae erant.* Quatuor quidem extremae voces, verbis suis quae erant, neque in Copto sunt, sed paraphrasis esse liberior Arabis videntur.

5. Vide §. VII. cui pauca hic addo. Καθιεμένην circumloquitur Syrus, *vinctum & demissum:* at Arabs unica voce expressit *demissum.* In fine hujus versus Arabs cum codicibus Cantabrigiensi & Alexandrino, id vero est cum latinizantibus, contra & Syrum & Coptum conspirat. Addit enim, DONEC, (*donec veniret ad me*) quod nec Syrus nec Coptus habet.

6. 9. (Contra Syrum & Coptum facit.) 10. 11. 15. 17. 18. (Omittit quae & Syrus & Coptus habet.)

18.

18. ταῦτα a Syro abundantius redditum est, *haec verba*: cum Arabs simpliciter habeat, *haec*.

19. Pro κύπρου in Syro pleonastice legitur, *usque ad locum Cypri*, quem pleonasmum Arabs non expressit.

21. πολὺς ἀριθμὸς *multus numerus* in Syriaca versione negligentius expressum, *multi*, curatius in Arabica, *homines quorum numerus erat multus*. Hoc an Arabs ex Copto vertere potuerit, ignoro.

23.

25. *Barnabae* nomen, & a Syro & a Copto omissum, habet Arabs. Latinizantibus illi, noster Arabs Graecis similior.

26. Vide §. VII. Bis quidem in hoc versu contra Coptum cum Syro conspirat Arabs: semel ab utroque & graecis dissentit, ita tamen ut hic dissensus licentiae paraphrasticae tribui possit.

27. Iterum & a Syro & Copto dissidens Arabs Graeca presse sequitur.

30.

XII, 1. Merum forte scholion est, quod Syrus post Herodis nomen addit, *qui cognominatur Agrippas*. Arabs illud non habet.

4. 6.

5. προσευχὴ ἦν, *oratio erat*, non ineleganter παραφράζει Syrus, ܨܠܘܬܐ ܡܬܩܪܒܐ ܗܘܬ *oblata erat oratio*, phrasi a sacrificiis translata. Simpliciter autem Arabs, *erat oratio*, ne Copto quidem concinens, qui habet, *orabant*.

6. φύλακες, nimis libere Syrus, *alii*, pressius Arabs, *custodia*.

7.

7. Syrus, *in tota domo*, vocabulum *tota* sine ulla auctoritate addens: atque deinde pro, *latus Petri*, scribit, *latus ejus*; utrumque contra Arabem. Graviora his sunt, quae §. VII. de ἰδοὺ & πατάξας dabo, hic non praecipienda.

8. Post *& dixit ei*, addit Syrus, *iterum*, quod non habet Arabs.

10.

11. Mirificus in hoc versu est utriusque versionis dissensus. γενόμενος ἐν ἑαυτῷ sola sententia servata vertit Syrus, ܐܣܬܟܠ *intellexit*, ex qua versione de verbis phrasique graecae veritatis ne conjecturam quidem facias. At Arabs: *rediit ad animam suam*; ne Copto quidem prorsus conveniens, qui ex Wilkinsii versione habet, *corde ipsius veniente ad se*. Ἀληθῶς, ὅτι bene ad Graeca expressit Syrus: at Arabs cum latinizantibus vertit, ac si esset, ὅτι ἀληθῶς, iterum a Copto diversus. Syrus post, *Herodis*, de suo addit, *regis*: quod non habet Arabs. Ἐκ πάσης τῆς προσδοκίας τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων, misere eloquitur Syrus, duabus etiam vocibus omnino neglectis; *ab eo quod cogitabant contra me Judaei*: at graecis consonant Arabica: *& ab omni exspectatione populi Judaeorum.* Neque haec vocibus saltem ac sono, sed & sententiis differunt. Syrus enim ita expressit, ac si Judaei ipsi necem Petro intentasse dicantur, cujus tamen supplicium, si graeca audias, ab Herodis benevolentia exspectabant, auram popularem captantis. Adeo hic versus in utraque versione alius est, ut nihil ex hac in illam manasse videatur.

12. 13. In his duobus versibus Coptus cum Syro concinit, & tamen ab utroque discrepat Arabs. Vide §. VII.

14. εἰσδραμοῦσα Syrus, *revertit curfu:* fimpliciter Arabs, *occurrit.* Neque habet Arabs αὐτῷ, quod cum latinizantibus quibusdam Syrus poft ἤνοιξεν addit.

15. διισχυρίζετο prorfus ad vim graecae vocis Arabs, *confirmabat*, cum in Syro paraphrafis potius legatur, ܗܘܳܬ ܡܬܕܪܫܐ *difputabat.*

16. ἐπέμενε κρούων Syrus neglecta priore voce, *pulfabat:* at folicite graeca expreffit Arabs. Ἀνοίξαντες Syrus male ac folus habet, *egreffi funt:* at Arabs ad Graeca, *aperuerunt.* Minuta alia negligo.

17.

19. κατελθὼν, Syr. *egreffus eft;* Ar. *defcendit.*

21. ἐδημηγόρει πρὸς αὐτούς *concionabatur illis*, neglectis duobus extremis verbis paraphraftice redditur in exemplis noftris Syriacis, *loquutus eft cum congregatione.* Ita nempe nimis grammatice vis verbi δημηγορεῖν exprimitur, ab interprete? an a fcholiafte? Arabs quidem fimpliciter: *ut diceret ad illos.*

22. Poft, *populus vero*, Syrus ex fola quod arbitror paraphraftica libertate addit, *omnis:* quod nec alius quisquam neque Arabs facit. Θεοῦ φωνή, *Dei vox*, Syrus emphafi aliqua captata vertit, *oracula tonitru edita*, (ܒܢܬ ܩܠܐ, *filiae tonitru*) At fimpliciter Arabs *fonus.*

23. Syrus commata verfus ita transponit: *& propterea, quod non dedit gloriam Deo, eadem hora percuffit illum angelus Domini:* at jufto ordine Arabs: *& ex hora ea percuffit eum angelus domini, propterea quod &c.*

XIII.

XIII. In hoc capite tantus jam iterum tamque manifestus est Syriacae Arabicaeque versionis consensus, ut si quando dissentiant suspicari alterius naevum ac depravationem debeamus. Vide enim, quae §. III. ad hoc caput consensus exempla congessi.

1. Syrus solus cum Cantabrigiensi pro μαναὴν scripsit *Manael*: at per N scripsit Arabs.

σύντροφος elegantius exprimit Syrus, *filius educantium Herodem*: at hac phrasi non spectata Arabs, *qui nutritus erat cum Herode*.

4. ἀπέπλευσαν, *enavigarunt*, Syrus pro more suo atque ut fere alias, *profecti sunt mari*: Arabs, *velis usi & profecti sunt*. Consensus fortasse in his potius quam dissensus apparet; indicare tamen volui, ne quid dissimulare viderer.

5.

6. Verum est, quod docet MILLIUS, Syrum pro nomine βαρϊησοῦς scribere, *Barsuma*. Est tamen haec, quod ex Arabe intelligimus, non certa explorataeque antiquitatis lectio, sed recentior forte & superstitiosa Syriacae versionis interpolatio: habet enim Arabs *Barjasusa*. Nempe cum librario nomen Iesu profanari videretur, si in pessimi hominis nomine inesset, omisit illud, ac scripsit ܒܪ ܫܡܐ *filius nominis*, more Judaeorum, qui ipsi pro יהוה scribunt השם.

7. Initium hujus versus valde transponit mutatque Syrus, ita: *& adhaerens erat viro prudenti, qui erat proconsul, & vocabatur Sergius Paulus*: & tamen ordine graeci textus servato, nulloque verbo addito Arabs: *qui erat cum principe* (ita proconsulem vocat) *Sergio Paulo, viro prudente*.

8. Pudendum hic flagitium committit versio Syriaca, qualem nunc habemus, a cujus quidem aliqua parte pura olim fuisse

I 2 vide-

videtur, interpolationi debita. Graeca sunt: ἀνθίστατο δὲ αὐτοῖς Ἐλύμας, ὁ μάγος, οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Quorum verborum sententia haec est: nomen illius hominis, Elymas, magum significare, quod & sonat in lingua Arabica عليم per Ain scriptum. Est ergo nomen interpretandum, *Elymas*, ejusque interpretatio, *magus*. Hic quidem primum errorem commisit Syrus, quod nomen *Elymas* non per Ain scripsit, sed per Aleph, ܐܠܘܡܘܣ, ut jam a peritissimo linguarum orientis intelligi nequeat: quem & errorem Arabs Erpenianus ex Syro hausit, non levi argumento, eum hunc versum ex Syriaca versione transfudisse. Qui enim homo Arabs Graeca legens suae linguae vocabulum ignorare potuisset? Jam vero in novum Syriaca versio errorem prolapsa, ita rem commenta est, ac si nominis *Barjesu*, sive ut ipsa in honorem nominis Jesu scribere maluit *Barsuma*, haec esset interpretatio, *Elymas*, qua lingua, cuique genti, nescio. Sic enim vertit: *resistebat autem illis magus hic Barsuma, cujus nomen interpretatione redditur Elymas.* At vitato illo tam insigni errore Arabs Graeca recte reddit, existimare nos jubens, putidissimum peccatum non ipsius interpretis Syri sed sive marginis atque scholiastae, sive librarii audaculi flagitium fuisse.

15. *μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου* Syrus, verbo pro nomine usus, circumloquitur, *postquam lecta lex esset*: & tamen Arabs, *post lectionem legis.*

17. Valde hic versus alius in Syro quam in Arabe est. Praeter ea enim quae §. VII. dabo, ὕψωσε duobus verbis reddit Syrus, ܐܪܝܡ ܘܐܘܪܒ, at Arabs non habet nisi unicum. Idem Arabs ἐν τῇ παροικίᾳ, expressius ad graeca reddidit, *in exilio,* quod

quod Syrus circumloquitur, *cum essent peregrini* in terra Aegypti.

24. Προκηρύξαντος Ἰωάννου πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, haec mira libertate reddita jam leguntur in Syro: *& misit Joannem, ut praedicaret ante adventum ejus:* & tamen graeca presse sequitur Arabs, nisi quod verbi compositi vim simplicitate linguae coactus duobus verbis effert: *cum praecederet Joannes, & praedicaret ante eum in adventu ejus.*

25. ὡς δὲ ἐπλήρου Ἰωάννης τὸν δρόμον, *cum absolvisset Joannes cursum.* Pro *cursu* jam in Syro legitur *ministerium*, & tamen Arabs habet: *cursum posuit*, ut adeo in Syriaco exemplo quod interpretabatur, nondum illa paraphrasis, sed graeco respondens verbum fuisse videatur. Hic si quem GOLII lexicon moretur, quod vocabulo سعي *cursus* significatum non subjecit, legat ille ex ipsa Erpeniana versione Arabica 2. Tim. IV, 7. ubi sine dubio cursum significat.

26. ἐν ὑμῖν *in vobis* omissum est in Syriaco N. T. Quod enim ibi legitur, *vobiscum*, non est versio horum verborum, sed pars consuetae interpretationis vocabuli σεβόμενοι, quod, ubi proselytos significat, Syrus reddere solet, *illi qui timent vobiscum Deum.* Vide v, 50. Haec ipsa tamen paraphrasis effecisse videtur, ut facilius versio verborum ἐν ὑμῖν exciderет: cum enim illis expressis Syrus scribere debuerit, *& illi* IN VOBIS *qui timent* VOBISCUM *Deum*, facile sive negligentia librarii perire alterum VOBIS potuit, sive etiam nimia diligentia quod redundare illud existimaret. Arabs quidem habet, *in vobis*, ut olim nec in Syriacis desideratum fuisse videatur. Plura in eodem versu mutata sed incertioribus vestigiis deprehenduntur. Sic γένος bene qui-

dem exprimitur in Syriaca versione ܫܪܒܬܐ familia; quia tamen Arabs graecam vocem in vertenda retinuit, جِنْسَنَا, crediderim idem etiam ab ipso interprete Syro factum scriptumque fuisse ܓܢܣܐ, pro quo purius deinde vocabulum Syriacum sive ex margine sive ex alia versione irrepserit.

27. 29.

32. *τὴν ἐπαγγελίαν.* In graeca veritate hoc nomen pendet a verbo *εὐαγγελιζόμεθα; annuntiamus vobis promissionem.* At Syrus, ut nunc legitur, ad sequentia retulit, ita vertens: *etiam nos ecce annuntiamus vobis, quod promissionem, quae facta est ad patres nostros, ecce impleverit Deus.* Quae interpretatio ex ea, quam graeca postulat veritas, unius literae transpositione exsistere potuit, nempe si ܕ QUOD significans, suo loco ante *ecce impleverit*, omissum, ante *promissionem* scribatur. In qua errandi proclivitate credo Syriacam versionem a graecis dissidentem corruptam esse, cum & Arabs, alius ille lectionis Syriacae in hoc versu tenax, (*) tamen *ἐπαγγελίαν* recte atque ut graeca exigunt construxerit.

38. *γνωστὸν ἔστω* simpliciter vertit Syrus, *scitote*, & Arabs, *sit notum apud vos.*

40. *εἰρημένον* Syr. *scriptum*, Ar. *dictum.*

43. Post *σεβομένων* Syrus cum latinizantibus habet *θεόν*; non habet Arabs. Pro *τῷ παύλῳ καὶ τῷ βαρνάβᾳ* solus Syrus neglectis nominibus habet *αὐτοῖς*; sed nomina ipsa habet Arabs. *Αὐτοῖς* post *προσλαλοῦντες* omittit Syrus, habet Arabs.

50.

(*) Nempe habet cum Syro *πατέρας ἡμῶν*, pro *πατέρας*.

50. Valde mendosa hic videtur versio Syriaca. Cum enim Graeca sint: *excitabant pias feminas & honestas*, (εὐσχήμονας) *atque primarios civitatis*: solus nullius codicis interpretisve suffragium nactus, atque etiam ab Arabe destitutus Syrus primarios civitatis ante feminas collocat, sexus credo ratione habita, deinde & epitheta feminarum transponit, honestasque vertit divites. Sic ille: *excitarunt capita civitatis, & feminas divites, qui cum ipsis timebant Deum.* Jam audi Arabem: *feminas colere factas* (sc. Deum) *& pulcras habitu, & capita civitatis.*

51. Nemine consentiente Syrus praemittit, *cum egressi essent*, quod nec habet Arabs.

XIV, 1. ἐγένετο δὲ ἐν Ἰκονίῳ κατὰ τὸ αὐτό, haec solus omittit Syrus, habet Arabs.

3. τῷ μαρτυροῦντι - - καὶ διδόντι σημεῖα - - - γίνεσθαι διὰ τῶν χειρῶν αὐτῶν. Summa hic licentia versati sunt librarii Syri, sic enim jam legitur Syriace, *& ille testabatur - - signis, - - - quae faciebat per manus illorum.* Atqui olim ex Syro verterat Arabs: *& ille testabatur, - - - & dabat signa ut fierent per manus ipsorum.*

4. Vide §. VII. Iterum cum latinizantibus codicibus, sive adeo cum corruptissimo eorum Cantabrigiensi, sola concinit versio Syriaca contra Arabicam: triplici nomine mendi suspecta, & quod ab Arabica deseritur, & quod codicibus castis nullis confirmatur ejus lectio, & quod cum illa consentit versione antiqua latina, ex qua alios codices versionesque plurimum interpolatos esse constat.

6. ܥܪܩܘ *discesserunt*, hoc verbum ante, *fugerunt*, additum, neque graece neque Arabice legitur.

7. 9.

℣. 9.

11. Δία Syrus *dominum Deorum*, at Arabs زوس (*Zeus*) servato nomine Graeco vocat. Paraphrasis quidem illa, quam mendi arguit Arabs, etiam ideo suspecta, quod vigente adhuc idololatria Syrique interpretis aetate non necessaria erat, cum nemo Jovis nomen ignoraret.

12. 13. 15. ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν circumloquutione expressit Syrus, *in viis desiderii sui*, at Arabs simpliciter, *in viis suis*.

A versu 21. hujus capitis iterum incipit alienae versionis lacinia Arabicae nostrae attexta, quae Coptici an Graeci codicis sit interpretatio viderint lectores. Capite demum XV. versu 30 sensim in gratiam cum Syro redire Arabs incipit, saepius tamen adhuc dissentiens quam consentiens, donec tandem a versu 38 totus iterum fit Syriacus. In quibus enim cap. XV, 4. & 20. cum Syro conspirat, nihil momenti faciunt, quod ex Copto eadem cum Syro habente translata videri possunt. Hac omni ergo in pericopa a cap. XIV, 21. usque ad cap. XV, 37. dissensus Syri Arabisque nullum arguit Syriacae versionis mendum, sed hiatum Arabicae.

21. Ante καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων inserit Syrus: *& dicebant illis:* paraphrastice ut arbitror: idem ΝΟΣ post, *oportet*, omittit. In utroque ab eo dissidet Arabs.

22. προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν, Syr. *cum jejunarent cum illis, & precarentur:* Ar. *& precati sunt cum jejunio.*

22. 23.

25. Hic versus totus dissidiis obrutus est:

κακεῖ-

	Syr.	Arabs
κἀκεῖθεν ἀπέπλευσαν εἰς Ἀντιόχειαν.	Et inde profecti sunt mari *& venerunt sibi* Antiochiam,	& inde *accesserunt* Antiochiam,
ὅθεν ἦσαν παραδεδόμένοι τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ	*quoniam inde* erant depositi gratiae Dei	*unde navigaverant*
εἰς τὸ ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν,	ad opus quod compleverunt.	ad opus quod compleverunt *per gratiam Dei.*

Si WILKINSIUS recte Coptica vertit, etiam ab his valde dissident Arabica.

26. XV, 2.

XV, 3. οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας Syr. *comitata est & misit illos ecclesia*: Arabs: *& illi missi sunt ab ecclesia.*

Post, *Phoeniciam*, addit Syrus, *omnem*, paraphrastice, credo, ut vis verbi διήρχοντο exprimeretur; idemque ante, *Samariam*, ponit, PER, ut eos Samariam modo peragrasse more Judaeorum, quibus Samaritana sordebant hospitia, indicet: (*iter faciebant in* OMNI *Phoenicia*, ATQUE ETIAM PER *Samaritanos*) quorum nihil in Graeco est, neque utrumque habet Arabs. Versionem quidem non recentiorem librariive, sed ipsius antiqui interpretis Syri esse arbitror: tum ob ea, quae toti huic pericopae a versu 21 praemisi, tum quod & alibi aliquod studium partium Judaicarum in interprete Syro intellexisse mihi videor, qui si qua in Judaeos asperius scripta sunt ea nonnunquam interpretando ita mollit, ut fere pro Judaeo christiano haberi possit. Sic

K Rom.

Rom. XI, 25. Paulina illa, *obduratio evenit Israeli ex parte* (ἀπὸ μέρους) mollius etiam effert, [illegible] *ex parte exigua*. Primi quidem Latini interpretes N. T. ex Hebraismis etiam Judaei agnoscuntur.

5. ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, Syrus, *ex doctrina* Pharisaeorum; Arabs, *ex sociis cupiditatis* Pharisaeorum. Sciendum autem, Arabibus *cupiditates* (هوى in plurali أهواء) persaepe pro sententiis religiosis falsis quibus quisque favet, poni, quod Corani lectorem fugiet neminem. Jam αἵρεσις reddi poterat, *socii cupiditatum* seu errorum, neutiquam phrasis Syriaca paraphrasi Arabis locum dare potuisset.

δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς, haec & sequentia Syrus paraphrastice secunda persona expressit: *oportet vos, circumcidere eos, & ut praecipiatis illis* &c. At Arabs: *requiritur ut circumcidantur, praecipiamusque illis*.

7. 9. καθαρίσας a Syro accipitur ut participium aetiologicum: *nihil discriminis fecit inter nos illosque*, QUIA *purificaverat corda illorum fide*. At Arabs: *& purificavit*.

13. 14. ἐπεσκέψατο recte reddit Arabs *vidit*, at Syrus nullius omnino codicis lectioni congruens, [illegible] *coepit*.

18. 20. Valde hic Arabs Copto concinit.

19. κρίνω Syrus, *dico*, at exactius Arabs, *decido*.

23. Vide & §. VII. χαίρειν Syrus ܫܠܡܐ *pacem*, Arabs Graeca spectans *gaudium* vertit. Copto quidem ille non prorsus concinit, qui WILKINSIO interprete habet, *gaudete*.

24.

24. & 25. Graeca sonant: SIQUIDEM *audivimus, aliquos ex nobis egressos esse - - - visum est nobis, cum essemus una.* Jam Syrus, longiores periodos aversatus, particulam, qua uterque versus conjungitur, ab initio versus 24. ad initium sequentis transtulit, ut ex una longiore periodo duas breviores faceret: *auditum est nobis, quod aliqui ex nobis egressi sint* - - - PROPTER HOC *meditati sumus nos omnes, cum congregati essemus.* Nulla hic in Syro interpolationis suspicio, cum idem plerumque faciat, longiores periodos linguae ingenio repudiante. At Arabs omnino ad Graeca vertit: sive ipsam graecam veritatem sive Copticam sequutus versionem.

27. 29. 31.

28. ἔδοξε Syr. *fuit voluntas*, Arabs, *lubens fuit.*

32. Commata transponit Syrus, quae justo ordine habet Arabs. Παρεκάλεσαν expresse ab Arabe redditur; sed a Syro, *corroborarunt.* Quae ipsam lectionem spectant paragrapho VII. servo: minora etiam aliqua praetereo.

34. Totum hunc versum omittit Syrus; habet Arabs.

36. 38.

39. Postquam versu superiore iterum concordia coiit Syrum inter & Arabem, ut ex §. III. intelligi potest, jam iterum licebit, Syrum ex Arabe discrepante emendare. Hic quidem unica ex Syro particula excidisse videtur, qui contra omnes alios nec commoda verborum interpretatione habet *propter hanc contentionem discesserunt.* Contentionis nulla adhuc dum mentio facta erat, qui ergo scribere Syrus poterat, eos propter HANC contentionem discessisse? Ex Arabe si conjecturam facias, olim scriptum in Sy-

riaca versione erat: ܡܛܠ ܗܢܐ ܗܘܐ ܚܪܝܢܐ ܥܕܡܐ ܕܦܪܫܘ propter hoc contentio, usque dum discederent.

XVI, 2. ὃς ἐμαρτυρεῖτο Syrus active, testabantur de ipso, at passive Arabs magisque ad graeca, testimonium dabatur de ipso. Vide etiam §. VII.

3. τοῦτον ἠθέλησεν ὁ Παῦλος σὺν αὐτῷ ἐξελθεῖν, Syrus paraphrastice, hunc volebat Paulus secum DUCERE, at alia paraphrasi, quae vim & proprietatem graeci non Syriaci textus exprimit, Arabs: Paulus volebat ADJUNGERE SIBI hunc, ET UT exiret. Vide & §. VII.

4. 7. 8.

8. εἰς Τρωάδα. Nomen urbis scripsit Syrus, ut est in nominandi casu graeco, in Troas: at Arabs ad Troada, ut hic graece in accusandi casu legitur, in quo graeci exempli quam sive Syriacae sive Copticae versionis est similior.

9. Hic Arabs soli Coptico exemplo similis est. Vide §. VII.

23. πολλάς δὲ ἐπιθέντες αὐτοῖς πληγὰς Syr. cum verberassent eos multum: at pressius Arabs: cum verberassent eos verbere multo.

27.

XVII, 16. Ex Syro ܟܕ CUM excidisse videtur. Aspera enim constructione, nec graecis sat congrue habet, exacerbabatur in spiritu videbat, cum Arabs, per omnem hanc pericopam totus Syriacus, habeat: cum videret.

28. XVIII, 6. (Manifestus hic Arabis naevus videtur.) 12.

XVIII, 18. προσμείνας neglecta emphasi redditur, ܗܘܐ fuit, & tamen emphasin graeci verbi expressit Arabs.

25.

25. ἀκριβῶς, *accurate*, non bene a Syro liberiore paraphrasi redditur, [illegible] *plene*: nec enim qui solum Joannis baptisma noverat plene poterat viam Domini docere. At Arabs, in caeteris mirifice Syro consentiens, habet بالحق *in veritate*, ut adeo aliam eam melioremque interpretationem in Syriaco N. T. olim legisse, verbumque [illegible] ex versu sequente a librario huc translatum videri possit.

26. οὗτος non expressum a Syro habet Arabs.

27. προτρεψάμενοι, quod alii vertunt, *adhortati eum*; Syrusque Βοτσαι propterea laudatus, *praeverterunt eum*, (*) Arabs nescio quid spectans vertit, *gavisi sunt propter eum*. Nisi fallor, is qui ita interpretatus est graeca legit literarum leviter mutato ordine προτερψάμενοι, *antea delectati*. Atque etiam hoc velim attendi, inde a versu 25. magis jam a Syro discrepare Arabem. Estne haec, qualem supra jam habuimus, lacinia alius versionis Arabicae ex graeco factae, qua hiatus codicis sui supplevit librarius?

Pro συνεβάλετο, recte docente MILLIO, Syrus cum Huntoniano primo legit συνελάβετο, *adjuvit*: at Arabs & hic graecum textum vulgatum expressit, *profuit*, seu *utilis fuit*.

(*) Haec postquam scripsi, dubitare de ipsius Syri lectione incipio, putoque eum vertisse, *adhortati sunt eum*. Literae enim mihi redduntur Venerandi *Glocestrii Ridley*, quibus me docet, antiquum versionis simplicis exemplum, quod praeter aliud Heracleensis versionis sibi paraverit, a Barsalibaeo castigatum, habere hic literis transpositis, [illegible] *hortati sunt*. Verbum hoc significatu adhibitum vide Marci XV, 11.

XIX, 1. 2.

4. τῷ λαῷ neque quisquam, quod sciam, omisit, & vero Syrus habet, dura illud constructione ad praecedentia referens, ac vertens, *baptizavit baptismo poenitentiae populo*, id vero est, in usum populi. Prorsus autem illud omisit Arabs, forte quod librarius in alia versione, qua subinde eum usum vidimus, eandem vocem ad sequentia relatam legeret, neque certum haberet utram ex his sequeretur.

9. 21.

35. In hoc versu satis Syriacae versionis dissimilis est Arabica, quamquam & in quibusdam mire concinens. Καταστείλας Syrus reddit, *tranquillas fecit*, Arabs, *direxit*: νεωκόρον Syrus *sacerdotem* vertit, Arabs circumloquitur: *quod illa colet* Dianae magnae imaginem eius quae de caelo descendit. Vide & §. VII.

38.

39. ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ Syr. *in loco qui a lege datus est ad congregationem*: Ar. *in conventu ac prout oportet*.

40.

XX, 3. ἐγένετο γνώμη Syrus vertit, *cogitavit*, sed omittit solus Arabs. Ex hoc quidem excidisse, inque eo vitium esse videtur.

13.

15. Post nomen Χίου, addit Syrus pro more suo, *insulam*, quam vocem non habet Arabs. Jam supra me tradere memini, multa ex scholiis geographicis, ut *insula*, *urbs*, *lacus*, quae in Syro leguntur, non interpretis esse sed marginis.

16. 20.

20.

20. In hoc versu corruptum esse exigua unius literae mutatione Syrum liquet. Verbum οὐδὲν ὑπεστειλάμην, *nihil utilium rerum* SUBDUXI, in exemplis Syriacis, ut nunc sunt, redditur ܠܐ ܒܣܝܬ ܒܡܕܡ *non sprevi quidquam*, sententia ex graecis verbis non nisi arte exsculpenda. Et tamen Arabs in hac omni pericopa hocque adeo in versu Syri tenacissimus vertit *non texi*. Nempe Syrus sine dubio scripserat, ܠܐ ܟܣܝܬ *non texi*, ex quo levi immutatione literae Coph in Beth corrupta lectio exstitit.

Animis vestris, quod addit Syrus post, *utile*, non habet Arabs.

26. 33. XXI, 11. XXII, 1. 30.

XXII, 12. εὐσεβὴς Syrus reddidit ܙܕܝܩܐ *justus*, & tamen Arabs exactius ad Graeca تقيا *Dei timentem* dixit.

XXIII, 32.

XXIV, 3. πολλῆς εἰρήνης vertit Syrus ܒܣܘܓܐ ܕܫܢܝܐ *multitudine annorum*. Locum mendosum esse jam intellexit SCHAAFIUS, scribi jubens ܕܫܝܢܐ *pacis*. (Vide ejus varias lectiones.) Recte ille. Arabs enim, qui in hoc versu totus Syriacus est, ex Syro expressit, *in abundantia pacis* (*).

17. εἰς τὸ ἔθνος μου Syrus construit cum παραγενόμην, Arabs cum ἐλεημοσύνας ποιήσων.

XXV,

(*) Mirifice me in hac sententia confirmant, quae mihi redduntur diu postquam haec scripseram literae Vener. Glocestrii Ridley, docentis, suum exemplum ex Barsalibaei editione habere ܕܫܝܢܐ *pacis*.

XXV, 4. In initio hujus versus insolitum Syro occurrit orationis ornamentum, idque in interprete satis proprie dicente vitiosum: *ἀπεκρίθη* enim vertit, ܗܦܟ ܠܗܘܢ ܡܠܬܐ *retulit*, seu *convertit* ad eos *dictum*, pro quo cum simpliciter habeat Arabs, *respondit*, crediderim, ex alia magis paraphrastica versione, aut ex margine interpolatam simplicem nostram esse. In fine etiam versus pro *μέλλειν ἐν τάχει ἐκπορεύεσθαι* iterum paraphrastice atque insolita etiam interpreti nostro voce vertitur: *festino ut accingam me*: ubi Arabs proprie magis habet: *quod profecturus esset cito.*

10. 11. 26. XXVI, 3. XXVII, 14. 16. 23.

XXVII, 29. *Μήποτε εἰς τραχεῖς τόπους ἐκπέσωσιν* Syrus vertit, *ne inveniremur nobis in locis in quibus scopuli essent*: at pressius ad graeca Arabs.

32. *ἐκπεσεῖν* Syr. *errare*, Arabs autem magis proprie.

XXVIII, 26.

§. VII.

Lectiones Syri interpretis a Millio aut neglectae aut falso indicatae.

Lectiones Syri interpretis excerpsit MILLIUS in vasto variarum lectionum adparatu, sed illa excerpta satis manca & saepe falsa esse, docuit jam Pater meus in *tractatione critica de variis lectionibus N. T.*, paragraphis 21, & 31-48. jure in Millio reprehendens, quod non ex ipsis orientalibus versionibus sua hauserit, sed ex earum interpretibus latinis. Equidem quantum ad actus apostolicos attinet supplebo, quae in Milliano adparatu desiderari intellexero, non repetiturus, quae MILLIUS recte scripsit aut ei addidit KUSTERUS, sed emendaturus prava, & additurus quae omisit. Quod si meum spicilegium cum ipsa Milliana messe

messe comparandum nonnunquam lectoribus nimis aequis videatur, (quod quidem sperare nihil haberet jactantiae, cum solam diligentiae, nullam ingenii laudem habeat,) erit quidem haud raro in quo mirentur, qui factum sit, ut vir caetera diligentissimus in excutienda versione Syriaca negligentior fuerit, nec vel ea excerpserit, quae ex latinis ejus interpretationibus peti poterant, plerumque tamen sorti ejus condolebunt, quod literas Orientales ignoravit, sine quibus laborem quem susceperat satis perficere non datur. Conferam autem Syrum interpretem cum illo ipso textus graeci exemplo, quod in editione Milliana habemus: eademque opera addam Arabis Erpeniani lectiones, si illae a Syriacis diversae fuerint, unde Arabs cum Syro congruere existimandus erit lectoribus meis, quotiescunque nulla ejus mentio a me fiet. Quod si JOANNES JACOBUS WETSTENIUS in recentissima novi testamenti editione ea jam observarit, quae MILLIUS neglexit, mentionem ejus faciam; quod ubi non factum lectores intelligent, etiam Wetstenium eam lectionem neglexisse sciant. Adspergam nonnunquam, quae aptiore loco inseri non potuerunt observata.

Act. I, 4. Nescio quomodo Millius tradat, Arabem legisse in fine hujus versus, *διὰ τοῦ στόματός μου*, cum neque Arabs Erpenii, neque qui in Polyglottis expressus est, hanc lectionem habeat, sed uterque cum Syro verterit. Graecum *ἠκούσατέ μου* *audivistis ex me*. Recte ergo Arabis nomen Wetstenius omisit.

9. Ante *ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν* Syrus & Arabs addit, *tectus est*, seu *subduxit se*. Mera haec videri paraphrasis, non varia lectio poterat, nisi Cantabrigiensis codex & AUGUSTINUS praemitterent, *καὶ ἀπήρθη*, *& levatus est*. Est vero insignis,

neque

neque hucusque criticis satis intellectus concentus versionis Syriacae cum codice Cantabrigiensi, sive, quod idem est, cum antiquissima versione Itala, qualis ante Hieronymum, castigatorem fuit. Confer Millium ad II, 25. IV, 21. V. 10. VI, 2. 5, X, 38. 48. XII, 22, XIII, 5. 12, 27. XVI, 9. 38. XIX, 9. 20. 25. XX, 23. XXI, 20. & quae ego in ipso hoc paragrapho spicilegii loco scribam ad II, 1. 8. 45. III, 10. IV, 1. 5. V, 19. 39. VI, 3. 6. 15. VII, 19. 30. VIII, 6. XI, 1. XII, 2. 7. 17. 19. XIII, 1. 20. 35. 48. 49. XIV, 4. 13. XV, 13. 23. 37. XVI, 4. 8. 9. 12. 20. 29. 35. 36. 37. XVII, 2. 13. 14. 16. 20. XVIII, 1. 8. XIX, 1. 6. 9. 24. 25. 27. 28, 30. 38. XX, 13. 30. XXI, 39, 40. XXII, 6. Ea quae a fine capitis XXII sequuntur in codice Cantabrigiensi desiderantur, unde ex ultimis VI capitibus exempla nulla lectores desiderabunt. Sufficere possunt, credo, haec septuaginta & sex loca.

13. Nomina Jacobi & Joannis, a Syro transposita, justo ordine habet Arabs.

15. Idiomata quaedam Syri & Arabis hic indicanda sunt, ne quis ex illis varias lectiones exsculpat. Ubi enim in graeco est, Πέτρος, Syrus habet, *Simeon Cephas*, & Arabs, *Simeon electus*. Sed hoc non indicat, alia ac nos legimus hos interpretes olim legisse; ita enim pro suo more graecum Petri nomen uberius reddere solent. Confer c. II, 14. IV, 8. 19. VIII, 14. *Electus* Arabi idem est, qui nobis *sanctus*, quam in rem lege Act. II, 27.

Pro ὀνομάτων Syrus legisse dicitur Millio ἀνδρῶν; vertit enim, *erat ibi coetus* HOMINUM *circiter centum & viginti*. At utriusque lectionis, & quae in graecis codicibus plerumque habetur, & Latinizantis quam Syrus expressit, vestigia in Arabica versione invenias, quae vertit: *erat ibi coetus* HOMINUM *circiter* CXX

CXX NOMINVM. Latinizantem illam dico lectionem, quae *hominum* habet, & quia praeter Vulgatam versionem in codice unico reperitur, Laudano tertio, graeca ad latinam versionem plerumque refingente, & quod latino librario facile fuit, lapsu aut negligentia pro *nominum* scribere *hominum*, cui errori in graecis occasio defuisset, sive Lucam ἀνδρῶν sive ὀνομάτων scripsisse censeas.

16. Omittit ταύτην cum Alexandrino aliisque latinizantibus.

18. Omittit οὖν, ex codicibus unum habens Cov. tartium qui concinat. Hoc si scivisset Millius, qui in prolegomenis §. 1485. omissionem illam probat, potuisset Coventriensi codici duarum versionum Syriacae & Arabicae suffragia jungere. Vereor tamen ut jure particula omissa sit, quae eleganter a Luca poni potuit.

21. χριστὸς post ἰησοῦς cum latino interprete & latinizantibus addit Arabs, non vero Syrus. Commode autem hic accidit, Wetstenium docere, quod versio Syriaca recentior, Heracleensis dicta, hoc assumentum habeat, quod cum & Arabs exprimat, gravis suspicio est, illud ex Heracleensi versione in codices aliquos versionis simplicis irrepsisse. Quod quidem ubi factum esse in uno exemplo intellexerimus, saepius accidisse suspicari debebimus.

24. Erravit Millius, cum scriberet, pro ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα ὃν ἐξελέξω, Syrum atque Arabem inverso ordine legisse, ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα. Uterque hoc ordine vertit; *ostende unum, quem elegisti ex his duobus*: ut aut alterius lectionis aut neutrarum partium esse Syrus Arabsque videantur.

26. Αὐτῶν post κλήρους omittunt nostri, (Syrus & Arabs) cum solo Augustino, id vero est, cum unica concinentes versione Itala.

II, 1. Pro ἦσαν ἅπαντες legit Syrus, ὄντων αὐτῶν ἁπάντων: nec enim hic apodosin facit, sed cum suo vertit Arabe, *cum congregati essent omnes.* Suffragatur ergo illi lectioni, quae hucusque in solo Cantabrigiensi codice reperta est.

8. Idem concentus Syrum & Arabem cum solo codice Cantabr. iterum in verbis, τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ conjungit; pro quibus latinizans iste codex habet, τὴν διάλεκτον, verteruntque nostri: *audimus unusquisque linguam suam.*

9. De Alanis lege quae scripsi §. VI.

15. τῆς ἡμέρας. Verum est, quod scribit Millius, has voces a Syro omitti, quamvis illud Wetstenius indicare neglexerit, an noluerit? Habet tamen Arabs, expressitque, *a luce.*

22. Vide §. VI.

23. λαβόντες, quod multi codices & interpretes de latina, ut ita dicam, familia omittunt, omisit etiam Syrus cum Arabe, quos recte Millianis copiis adjecit Wetstenius.

26. Pro ἡ γλῶσσά μου in Syro legitur, ἡ δόξα μου, *gloria mea.* Fortasse tamen non interpretis est sed librarii ex psalmorum volumine versum nostrum interpolantis: Arabs enim habet, *lingua mea.*

39. Κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν.] Haec verba plene expressit Arabs, licet truncata habeat Syrus.

43. Hic librarius Arabs versionem quam describebat sive ex alia versione Arabica sive ex margine interpolasse videtur. Timoris enim, qui omnes invaserat, bis facit mentionem, contra τέρατα καὶ σημεῖα unico vocabulo exprimit, invito utrumque Syro. Sic Arabs: *Et erat timor in omni anima, & erat timor ingens super omnes: & signa multa fiebant per manus apostolorum*

in

in aede sancta, i. e. Hierosolymis. Nempe vulgata versio latina post finem versus subjungit: *& metus magnus erat in universis*, cui & quidam codices accedunt. Videtur ergo ex versione latina hoc assumentum margini primum Arabicae versionis adscriptum, ac deinde in textum translatum fuisse.

45. *καὶ τὰ κτήματα καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον*] Iterum Syrus cum solo Cantabrigiensi congruit, qui habet, *καὶ ὅσοι κτήματα εἶχον*, vertit enim: *& illi quibus erat possessio:* quod a Millio omissum recte Wetstenius indicavit. Omittitur praeterea in Syriaca versione, qualis nunc est, *ὑπάρξεις*, quod tamen ipse Cantabrigiensis habet. Verum Arabs, (sed is in tota hac pericopa valde a Syro diffidens,) secundum graeca habet: *& agros, & id quod erat ipsis vendebant.* Quod si ipsum Syrum ita scripsisse existimare audeas, lectionis falsae incunabula non jam in versione latina sed in Syriaca reperies. Commode enim graeca verti poterant: ܘܩܢܝܢܐ ܘܐܝܠܝܢ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗܘܢ *& possessiones, & quae erant ipsis* (*ὑπάρξεις*) unde levi mutatione librarius facere potuit: ܘܐܝܠܝܢ ܕܐܝܬ ܗܘܐ ܠܗܘܢ ܩܢܝܢܐ *& illi quibus erant possessiones.* Equidem nihil certi statuo, indicandum tamen duxi, quia & aliis locis ejus indolis peccata latino & Syro interpreti communia esse intellexi, quae non ex latino in Syrum fluxisse, sed in Syriaca versione describenda primum commissa esse videri possunt. Sed plura de hoc paragrapho sequenti

46. 47. Ad lectionem non pertinet, sed interpretationis potius est, quod in fine versus 46. Syrus comma non habet, ita construens: *& in puritate cordis laudabant Deum:* destitutus, ut fieri in hac pericopa solet, ab Arabe. Indicare tamen hic volui, quoniam suo id loco facere neglexeram.

III, 2. Verba καθ' ἡμέραν a Syro omitti tradit Millius, atque etiam hunc sequutus Wetstenius. Nec tamen tam neglexisse, quam liberius illa & paraphrastice vertisse videtur, ita cum suo Arabe habens: *portabant eum viri* QUI CONSUEVERANT. Ultima haec prorsus a graeco textu absunt, nisi respondere verbis καθ' ἡμέραν dicamus. Ac forte Syrus in suo exemplo graeco legit, οἱ καθ' ἡμέραν, *quotidiani homines*, idque vertit, *qui consueverant*. Utinam haberemus versionem Italam actuum apostolicorum, Blanchinusque, qui evangeliarium versionis Italae edidit, reliquum novum testamentum absolveret: ex concentu enim versionis Syriacae cum Itala aliis exemplis intellecto suspicor, aliquos latinos codices antiquos lectionem habituros, quae Syri lectionem illustret.

3. Liceat mihi ad hunc versum idioma Arabis notare, ne fraudi sit variarum lectionum compilatoribus. Ea quae in Syro legit saepe uberius παραφράζει, quin emphases novas de sua penu vitiose addit. Inprimis verbum COEPIT saepe ponit, ubi neque Graecus textus nec versio Syriaca illud habebat: ita hoc versu pro *petiit ab illis*, Arabs scripsit, *coepit flagitare*, & v. 8. *incedebat & coepit exsultare*, pro *incedebat & exsultabat*. Sunt, qui in scriptis evangelistarum verbum ἤρξατο saepe redundare credunt, quod si probari posset, Arabismi excusationem haberet.

7. ἤγειρεν αὐτὸν, omisit solus Arabs, oscitantia credo librarii.

10. Post καθήμενος uterque interpres addit, καθ' ἡμέραν, haud scio, an ideo, quod eadem verba versu secundo aut omissa aut minus perspicue reddita erant. Simile quid in codicibus etiam graecis a librariis committi observavit Beatus BENGELIUS

pag.

pag. 383. *apparatus critici*: rationem tamen hujus Φαινομένου paulo aliter reddendam, quam ipse instituit, crediderim. Nempe videntur ejusmodi librarii, ab illo qui verba scribentibus praeibat sive etiam a se ipsis moniti, errorem commissum corrigere voluisse, sed in alium versum novo errore incidisse, in quo supplebant, quae alibi deerant. Saepe ita a typothetis erratur, ut quae correctoris manus margini adscripsit alieno loco inserant. Ex his corrigenda sunt, quae ante tres annos Venerabilem BENGELIUM sequutus scripsi in *introductione ad tabulas divinas novi foederis* pag. 58.

12. ἰδὼν δὲ ὁ Πέτρος ἀπεκρίνατο πρὸς τὸν λαόν] Haec verba Syrus & Arabs reddunt: *& cum videret Simeon, respondit* & DIXIT *ad* EOS, cum uno Cantabrigiensi concinens, qui habet, ἀποκριθεὶς δὲ ὁ πέτρος εἶπε πρὸς αὐτοὺς, nisi quod nostri etiam graecum ἰδὼν exprimunt, & utramque lectionem, graecam & latinizantem conjungunt, quod manifesto est indicio, Syrum hic e latina versione, non hanc ex illo, interpolatum esse.

13. Licet Syrus vocabulum Θεὸς ante Ἰσαὰκ & Ἰακὼβ non repetat, videtur tamen olim illud repetiisse, ac quater eodem in versu scripsisse: cum & Arabs Erpenii illud quater exprimat, & vero Armenica versio, quam bis ex Syriaca factam fuisse, atque multum ex ea trahere docui in *introductione in tab. Novi foederis* pag. 231-234.

Falsum est, quod ex latina versione haustum scribit Millius, Syrum omittere αὐτὸν post ἠρνήσασθε. Habet & Syrus & Arabs. Rectius ergo Syri nomen in testibus hujus lectionis desiderari voluit Werstenius.

16. τὸ ὄνομα αὐτοῦ post ἐστερέωσε deest in nostris ejusque loco additur, *& sanavit*.

17.

17. Καὶ ante ἄρχοντες omittit Syrus. Lectio alicujus momenti, a qua sententia sacri oratoris pendet. Cum enim vulgo existiment, a Petro & principes Judaeorum ignorantiae praetextu excusari, solus jam populus excusari videbitur, qui exemplum principum secure nimis sed ignarus rerum sequutus sit, si omisso καὶ cum Syro vertas: *novi quod per ignorantiam egeritis, quemadmodum egerunt principes vestri.* Nullus quidem codicum graecorum, si Millium consulas, lectionem hanc prorsus novam inauditamque habere videtur: nec tamen eam hoc nomine damnandam existimo. Forte enim congruunt aliqui codices oscitanter, ut fieri solet, excussi, (*) in quibus unius particulae omissio facile oculos collatoris non nimis diligentis fugere potuit: certe praeter Syrum & Arabem Erpenii etiam Arabs in polyglottis expressus neglexit particulam καὶ, quorum nihil a Millio indicatum est.

22. πρὸς τοὺς πατέρας, quod, monente etiam Millio, omisit Syrus, Arabs tamen habet.

23. ἔσται δὲ, desunt quidem in Arabica versione, sed ex mera, ut credo, librariorum oscitantia, cum nec in Syriaca nec in ullo codice graeco desiderentur.

24.

(*) Non mea me aut spes fefellit aut conjectura. Ex Wetstenio enim, quamvis nihil ille neque de Syriaca versione neque de Arabicis moneat, disco, codicem Coislinianum 202, quem seculi XIII esse docet in prolegomenis Tomi II, p. 12, etiam καὶ omittere. Nolui id ipsi paragrapho inserere, eaque mutare, quae ante visum N. T. Wetstenianum scripseram, ut mecum eadem (si qua est) dulcedine lectores fruerentur, id quod conjectura praeceperant verum esse intelligentes. Si auderem, Millii exemplo, lectiones aut singulares aut paucis suffragiis confirmatas, tanquam genuinas excerpere, huic certe locum in illis facturus eram.

24. Omittit Syrus cum Arabe ὅσα ante ἐλάλησαν, non legens in codice suo graeco? an quod hiare oratio ac deesse apodosis interpreti videretur, si illud ὅσα exprimeret?

25. Manifestum est in Syro mendum, librariorum incuria ante διαθήκη omissum Dolath genitivi signum. Nec enim opinabile est, eum solum invitis codicibus omnibus, invita etiam sententia legisse, καὶ ἡ διαθήκη: *vos estis filii prophetarum, & foedus.* Sed salva res est: Arabs aliter in Syro legit, vertitque, *vos estis filii prophetarum & filii foederis,* nec mirum est, Dolath exiguam literam ab initio vocis; quae ipsa a Dolath incipit, excidisse.

26. Falsum est, quod Millius, ab inepto deceptus Latino Syri interprete, tradit, Syrum solum legisse εὐλογῶν *benedicens* pro εὐλογοῦντα *benedicentem.* Verba Syri ambigua sunt, unde nulla ex illis exsculpenda lectio, sed ea interpretatio eligenda erat, quae ad graecam veritatem accedit. Rectius ergo SCHAAFIUS vertit, *benedicentem:* Wetstenius que lectionem Syro a Millio obtrusam omisit.

IV, 1. Iterum & Syrus, & illo duce Arabs Erpenii, cum Cantabrigiensi fere solo concinunt, post λαὸν addentes; τὰ ῥήματα ταῦτα: quod a Millio neglectum, quamvis ex latina versione intelligi potuisset, bene jam addidit Wetstenius.

Transpositis verbis legit Syrus, οἱ ἱερεῖς, καὶ οἱ Σαδδουκαῖοι, καὶ ὁ στρατηγός. Quod vero ex Syro Millius (a Wetstenio hic relictus) στρατηγοὶ pro στρατηγὸς excerpsit, addubitandum videtur, cum ܐܣܛܪܛܓܐ sine punctis scriptum & singularis & pluralis numeri esse possit.

5. Deest in Syro ἐγένετο δὲ, itemque αὐτῶν (quod codicem Cantabrigiensem etiam omittere, codicemque Corsendoncensem seculo XII. scriptum ex Millio Wetstenioque intellexi, ut et ma-

gis mirer, nihil illos de Syro monuisse) atque in fine versus εἰς ἱερουσαλήμ. Hanc tamen ultimam vocem Arabs expressit.

7. ὑμεῖς in fine versus non expressit Syrus, negligentia? an culpa codicis quem interpretabatur?

12. ἡμᾶς in fine versus omisit Syrus, sed habet Arabs.

18. Falso Millius tradit, αὐτοῖς ab Arabe omitti; cum tamen & Arabs Erpenii & polyglottorum expresserit. Bene hunc errorem expunxit Wetstenius.

23. Solus Arabs addit, καὶ οἱ γραμματεῖς, forte quod alibi etiam scripturae doctorum mentionem fieri in primoribus Judaeorum meminisset.

Pro ἀρχιερεῖς habent nostri, ἱερεῖς, bene indicante Wetstenio, ante quem visum & meos ea lectionis diversitas oculos fugerat.

24. Post φωνὴν nostri cum solo Laudano tertio, codice graecolatino, addunt, αὐτῶν.

26. Soli addunt καὶ ante συνήχθησαν.

27. Πόντιος omisit Syrus, habet Arabs.

30. Syrus omisit σημεῖα, sed habet Arabs.

33. Pro Κυρίου Ἰησοῦ expressit Syrus, (quod & Wetstenius monuit) Ἰησοῦ χριστοῦ, Arabs vero τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ. Latinizanti codicum familiae hae lectiones accedunt.

36. Vide §. VI.

V, 3. Pro ἀπὸ τῆς τιμῆς solus omnino Syrus, atque etiam ab Arabe derelictus, expressit ἀπὸ τοῦ ἀργυρίου τῆς τιμῆς.

5. ταῦτα in fine versus cum latina familia omittunt nostri, quos a Millio neglectos recte nominavit Wetstenius.

8.

8. Pro ἀπεκρίθη exprimunt εἶπε cum Vulgata & Cantabrigiensi: quod & Wetstenius, Millio diligentior observavit.

9. Nullo codice suffragante Syrus cum suo sequaci omittit τί ante ὅτι. Sententia haec exit: *quia convenit vobis, tentare spiritum domini, ecce pedes sepelientium maritum tuum ad januam sunt, teque sepelient.*

πνεῦμα τοῦ Κυρίου] Arabs habet *Spiritum Sanctum*, quae lectio est Chrysostomi & Aethiopis. Syrus tamen eam Arabi non praeivit.

10. Pro αὐτοῦ habet Syrus, ut nunc legitur, αὐτῶν, sed mendi arguitur ab Arabe. Ex Philoxeniana autem versione hanc lectionem in vulgatam Syriacam irrepsisse, jam non suspicor, sed plane credo, postquam ex N. T. Wetstenii didici, Philoxenianam versionem ab ipso collatam hic habere ἀποστόλων. Idem & impressae versionis Syriacae mentionem fecit; nec tamen textus, sed marginis.

Argutius fortasse suspicatur & Millius, & hunc sequutus Wetstenius, Syrum pro ἐξενέγκαντες legisse, ut est in Cantabrigiensi, συστείλαντες ἐξήνεγκαν. Saltem v. 6. verbum συστέλλω alio omnino verbo reddit, quam quod hic reperitur, paraphrasisque esse potest, quod ἐξενέγκαντες vertit, IMPOSUERUNT *feretro, tulerunt.* Nec tamen nego aliquem suspicioni locum esse, eo justiori, quod toties cum Cantabrigiensi Syrus conspirat.

15. Καὶ τιθέναι] Haec verba Syrus cum Arabe in participio legit τεθέντας: vertit enim, *ut positi erant in lectis.* Omittit etiam κραββάτων, quod tamen habet Arabs.

16. In codice, ex quo Syrus interpretatus est, deerat ΤΟ ante πλῆθος, & ΕΙΣ ante Ἱερουσαλήμ. Satis enim mutata senten-

tia vertit cum suo Arabe: *convenerunt vero ad eos multi ex aliis urbibus circumjectis Hierosolymae*

17. Omittunt nostri interpretes soli ἀναστάς.

18. ἐν τηρήσει δημοσίᾳ, quod est, *in carcere publico*, Syrus neglecta ultima voce reddidit, *in domo vinctorum*, atque ex eo Arabs, *in carcere.* Video illi omissioni unum congruere *Luciferum Calaritanum*, a Millio hic quamvis sine Syro excitatum, qui fere ex Itala versione dicta N. T. promit, ut adeo haec lectio latinizantibus accensenda sit.

19. Ἄγγελος δὲ Κυρίου διὰ τῆς νυκτὸς ἤνοιξε] Observat Millius, inverso ordine verborum in Cantabrigiensi scribi, τότε διὰ νυκτὸς ἄγγελος Κυρίου &c. Si verborum ordinem ab interprete servatum credas, suffragium Syri addendum Cantabrigiensi erat, quod & Wetstenius fecit. Nec tamen dissimulandum est, alio ordine Arabem interpretatum esse. Exigui hoc momenti esset, nisi ex magno Syri cum Cantabrigiensi consensu penderet, quid de ipsa versione Syriaca ejusque auctoritate statui debeat.

αὐτοῖς in fine versus addit non unus Coptus Millio excitatus, sed & Syrus cum Arabe. Hanc tamen paraphrasin potius existimo quam lectionis diversae indicium.

21. Syrus cum uno Laudano 3, latinizante codice, pro ἀκούσαντες, habet ἐξελθόντες, quod & observavit Wetstenius. De Arabe noli dubitare.

παραγενόμενος & πᾶσαν nostri soli omittunt.

22. Soli omittunt ἀπήγγειλαν.

23. ἔξω, ut in permultis codicibus, ita & in versione Syriaca deest. Observavit Wetstenius.

27.

37. ἐπηρώτησεν omittunt nostri: quae omissio favere videtur lectioni versus sequentis qualis in vulgata latina exprimitur, ubi omissa particula ὀυ nulla sequitur interrogatio. Crediderim ergo, si codices versionis Italae evolvantur, in uno alterove etiam ἐπηρώτησε desideratum iri. Ipsam tamen sequentis versus lectionem recte & ad graeca expressit Syrus.

34. Soli omittunt ἐν τῷ συνεδρίῳ.

39. καὶ praeter Cantabrigiensem, cujus unius mentionem fecit Millius, etiam nostri omiserunt.

41. Quod habet Millius, Arabem post ὀνόματος addere ἰησοῦ de Arabe polyglottorum intelligendum est; noster enim, quem in actibus apostolicis excerpere solet Millius, cum Syro facit, PRO NOMINE scribens. Idem ad cap. VI, 1. tenendum.

VI, 3. Πνεύματος ἁγίου reddit Syrus, (observante etiam Wetstenio) *spiritu domini.* Cum vero nullus codex habeat πνεύματος Κυρίου, suspicor, Syrum cum Cantabrigiensi & Copto facere, qui Millio teste nulla voce adjecta tantummodo πνεύματος habent. Verisimilior fit conjectura, quod Arabs ex Syro reddidit; *pleni spiritu ac sapientia*, ut ne quidem illud, DOMINI, legisse in Syro videatur. Quae cum olim scripsissem, atque jam ex schedis describerem, ex N. T. Wetsteniano disco, Philoxenianam versionem cum Cantabrigiensi codice consentire, ut adeo dubium vix esse possit, quin lectio latinizans ex hac in vulgatam Syriacam irrepserit.

6. οὓς ἔστησαν Syrus cum Arabe vertit, *hi steterunt*, id vero ex idiomate Syrorum idem est ac, *hi constituti sunt.* Est haec iterum ipsissima lectio codicis Cantabrigiensis; οὗτοι ἐστάθησαν.

7. ἱερέων] Recte quidem tradit Millius, Syrum hic ἰουδαίων

 habe-

habere: addendum tamen est eum ab Arabe suo destitui, suspectumque ideo locum esse.

9. Quas ad hunc versum Arabis lectiones adfert Millius, illae ineptiae librariorum non nostro sed bibliorum Polyglottorum Arabi imputandae sunt. Male autem fecit, quod alibi Erpenianum Arabem in actibus apostolicis citans, Arabem ab Arabe non distinxit.

12. Ne tibi alia legisse videatur Syrus, qui συνέδριον [Syriac] transtulit, confer. c. XXIII, 6.

15. Cum solo Cantabrigiensi pro ἀτενίσαντες legunt nostri ἠτένιζον.

VII. 2. Errat Millius, cum Syrum dicit χαρὰν, urbis nomen, per R. simplex scripsisse; proditque se linguae Syriacae (ut erat) ignarum: utrumque enim χαρὰν & χαῤῥὰν Syriace non aliter temere scribi poterat quam [Syriac], quia Syri Dagesch forti destituuntur.

3. Culpa librariorum, quod suspicamur, Arabs omittit, quae & Syrus & omnes habent, καὶ δεῦρο εἰς γῆν, ἣν ἄν σοι δείξω.

4. Prorsus nescio, qua conjectura ductus Millius tradat, Syrum pro μετῴκισεν legisse μετήκισεν. Vertit: *transtulit illum Deus*: quae versio accuratius exprimit verbum per I quam per H scriptum. Delenda ergo haec lectio, quod & fecit Wetstenius.

11. Ante χαναὰν legit τὴν γῆν, quod supra ante Aegypti nomen ab eo omissum esse jam observavit Millius. Est ergo correctio erroris in loco alieno facta, qualem supra ad cap. III, 10. diximus. Ex quo liquet, alios codices Syriacos τὴν γῆν suo loco habuisse, alioqui nulli locus emendationi fuisset: hoc autem intelle-

tellectum eo nos deducit, ut suspicemur, omissionem vocabuli, quod versio Syriaca habebat, depravationi ejus ad versionem latinam deberi, quae & ipsa τὴν γῆν omisit. Arabs autem bis τὴν γῆν expressit, & ante Aegypti & Cananaeae nomina.

15. Verum quidem est, quod Millius monet, in Syro post *mortuus est* legi, ibi, ut in Laudiano 3, codice latinizante. Sed hoc recentius esse videtur assumentum, ex Syro ad Arabem non transmissum.

16. τιμῆς omittit Syrus. Miramur quidem, eodem in versu quatuor lectiones prorsus singulares, nec alio ullo codice confirmatas ex Syro interprete oriri. Reliquas tres observavit Millius; interpreti autem ipsi, non librario, imputandas, aut certe valde antiquas esse, ex Arabe colligimus, qui eas etiam expressit. Difficilem esse versum omnes sciunt, neque insolens est, ejusmodi nodos variis lectionibus occasionem dare, dum eos solvere verba textus mutando audaciores conantur: verum hoc mirabile est, quod aliquae ex lectionibus a Syro expressis nodum non solvunt sed adstringunt. Cum enim Jacobus in illo sepulcro non conditus sit, quod Sichemi erat, ad receptam lectionem dici potest, non de Jacobo sed de XII patriarchis Stephanum loqui: qua de re vide, quae in praefatione theologiae typicae disputavi pag. 37. At cum Syrus singulari numero habeat, μετετέθη & ἐτέθη, hanc nodi solutionem non admittit. Viderint me acutiores, qui factum sit, ut in hoc uno versu toties a reliquis omnibus tamque graviter discrepet Syrus.

18. ἐπ' αἴγυπτον, quod Syriacae versioni recte quidem tribuit Millius, librarii tamen potius quam ipsius esse videtur interpretis. Nam & in Arabica versione latinizans hoc assumentum non

non legitur, & ex Wetsteniano N. T. disco, versionis Philoxenianae exemplum Ridleyanum, cujus margini multae adscriptae sunt lectiones latinizantes, etiam hanc, ἐν αἰγύπτῳ in margine habere. Sed vide, quae hanc in rem paragrapho VIII. scribam.

19. Pro οὗτος in versus initio nostri habent ΚΑΙ, quae unius est lectio codicis Cantabrigiensis.

24. Soli nostri interpretes pro τῷ καταπονουμένῳ habent αὐτῷ, atque post τὸν αἰγύπτιον addunt, τὸν ἀδικοῦντα.

25. Post ἀδελφοὺς αὐτοῦ addunt nostri, filios Israelis. Non praetermisit hoc Wetstenius, idem docens, hanc lectionem etiam in margine versionis Philoxenianae reperiri: unde nisi fallimur, in textum vulgatae Syriacae irrepsit. Verba sine dubio ex versu 23. in marginem versus nostri translata sunt.

26. ὑμεῖς deesse dicit Millius in Syro. Falso. Nec deesse nec adesse dici potest, cum ܐܢܬܘܢ vos i. e. vos estis, ambas voces graecas ἐστε ὑμεῖς exprimat. Sed sapiebat ex sola latina interpretatione Millius, quae eum hic, ut saepe, errare coëgit.

29. Pro οὗ ubi legerunt nostri καί. Ex solo codice Covelli 3 eandem jam lectionem Millius, atque ex Barocciano 3 Wetstenius (nescio cur omisso Coveliano 3) depromserunt, quae Syri nunc suffragio confirmatur.

30. Post πληρωθέντων addunt nostri αὐτῷ, quae est lectio unius codicis Cantabrigiensis. Syrus etiam, sed sine Arabe, addit ἐκεῖ.

32. ὁ θεὸς ante Ἰσαὰκ & Ἰακὼβ habet Arabs, non item (quod recte monuit Millius) Syrus.

35. Post ἀπέστειλεν addunt αὐτοῖς.

36.

36. τέρατα καὶ σημεῖα] His uterque tertium vocabulum, καὶ δυνάμεις, addit.

37. Falsum est, ideoque recte a Wetstenio omissum, quod hic fingit Millius, Syrum pro ἀκούσεσθε legisse ἀκούσατε. Vertit Syrus in futuro, *hunc audietis*, quod, sententiam si spectes, non male redditum in polyglottis erat, *audiatis*. Hinc nobis nimia Millii diligentia lectionem variam exsculpsit. Ex quibus erratis viri omni laude cumulatissimi intelligitur, qua mercede fontibus relictis ad rivos eatur. Nos quidem & optimi Millii & ipsius ecclesiae vices saepe doluimus, quod tantus vir praeclare de ecclesia meritus non ab omnibus eruditionis partibus instructus fuerit, quae critico sacro necessariae sunt. Jactent alii compendia & commoda eruditorum illorum, qui uni se disciplinae totos addixerunt, reliquis non salutatis: nobis arctiore vinculo conjunctae pulcrae hae sorores videntur, quam ut neglectis reliquis ornari una & coli recte possit. Quodsi unus non tot scientias animo complecti potest, quot criticum sacrum perficiunt, ingenioque humano excusatio quaerenda ac danda est, optabile tamen esset, in editionem N. T. plures varii generis eruditos conspirare, quorum alii, nec pauci, codices graecos evolvant, tractent alii hic Italam, ille Syriacam, tertius Copticam, Arabicas caeterasque versiones, patres etiam, & quae sunt antiquitatis alia monumenta veram N. T. lectionem prodentia: sedeat unus, in nulla scientia prorsus hospes earum quas illi sibi diviserunt, sitque tanquam aliquis Millius, judex lectionum & qui reliquorum labore utatur. Sed haec frustra optabimus: deerunt enim stipendia, sine quibus reliqui non unum judicem agnoscent totiusque operis praesidem; deerit Carolus Magnus, qui tale fere collegium instituisse legitur. Sed quo dilabimur? Semel nimirum efundenda erant, quae saepe taciti & sensimus & tulimus moleste.

41, ἐμοσχοποίησαν.] Solus omnino Syrus, atque etiam sine Arabe, in singulari habet, *vitulum fecit.*

Pro τοῖς ἔργοις uterque habet, τῷ ἔργῳ.

42. Pro οἶκος habent υἱοί, paraphrastice? an ita legente, qui Syriace interpretatus est.

43. Vide §. VI.

Deest καὶ ante μετοικιῶ.

47. Vide §. VI.

49. Falsum est, quod tradit Millius, exque illo Wetstenius, Syrum in fine versus adjicere ἐστιν: quod verbulum sive legens sive non legens eadem tamen ratione interpretaturus erat.

52. Falsum, quod idem docet, sed omittente Wetstenio, eum post δικαίου addere τούτου.

Arabs verbum ἀπέκτειναν bis expressit, interpolatus, credo, ex alia Arabica versione. Syrus enim, secus ac nostri interpretes, ἀπέκτειναν cum praecedentibus construxit; *quis enim est ex prophetis, quem non persequuti sint & occiderint patres vestri, illis nempe, qui praenuntiarunt* &c. Hinc expressit Arabs. *quis est in prophetis, quem non prosequuti sunt &* OCCIDERUNT *patres vestri.* Sed statim subjungit: INTERFECERUNT *illos qui antea vaticinati sunt.*

53. Pro οἵτινες habent καί.

55. πίστεως καὶ post πλήρης, addit uterque noster, quod bene Wetstenius observavit, codices aliquot consentientes citans, cum eam lectionem solis Complutensibus & Copto Millius tribuisset.

59. χριστὲ addit Arabs, forte non in Syro ita legens, sed paraphrastice.

VIII.

VIII, 3. Post *ἐκκλησίαν* addunt nostri, τοῦ Θεοῦ quod & Wetstenius vidit.

6. *προσεῖχόν τε οἱ ὄχλοι*] Insignis lectio Syri Arabisque a Millio neglecta. Uterque enim cum Cantabrigiensi solo concinit, vertens: *& cum audirent verbum ejus homines qui ibi erant, auscultabant ei.* Uterque noster in medio etiam commate addit, *crediderunt omnibus quae dicebant.* Et hoc cum solo quodammodo Cantabrigiensi congruit, qui *ὁμαδὸν* habere Millio videtur, i. e. *conjunctim.* Mirificus consensus, quem oculis subjiciemus:

editiones nostrae	*Cantabr.*	*Syr. & Ar.*
προσεῖχόν τε (δε) οἱ ὄχλοι τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τοῦ Φιλίππου ὁμοθυμαδόν.	ὡς δὲ ἤκουον πάντες οἱ ὄχλοι, προσεῖχον τοῖς λεγομένοις ὑπὸ τοῦ Φιλίππου ὁμαδόν.	ὡς δὲ ἤκουον οἱ ὄχλοι προσεῖχον αὐτῷ καὶ ἐπίστευον τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ ὁμαδόν,

7. Pro *βοῶντα* Syrus legit *βοώντων*: namque ܩܥܝܢ *clamantium* est masculini generis, nec ergo ad ܪܘܚܐ *spiritus* referri potest, quod nomen per omnem versum generis feminini est.

πολλοὶ in medio versus deest, ac pro eo ponitur, *alii* (*ἄλλοι*.)

8. Iterum soli Cantabrigiensi, si seriem verborum spectes, calculum adjicit Syrus, sed sine Arabe. Sic enim vertit: *& gaudium magnum factum est*: pro quo habent graeci: *& factum est gaudium magnum.*

12. *τὰ περί*] Τὰ omittunt nostri cum Alexandrino aliisque latinizantibus, ac vertunt: *evangelizanti regnum* (Arabs *de regno*) *Dei.* De Syro id bene jam prodidit Wetstenius.

Pro *καὶ τοῦ ὀνόματος* habent nostri, *ἐν τῷ ὀνόματι*, cum solis Velesianis, vulgataque Latina.

Ante *Ἰησοῦ* soli nostri addunt, *Κυρίου ἡμῶν.*

N 2 13.

13. Post γινομένας addunt, *per manum ejus:* & stuporem Simonis (ἐξίστατο) duplici verbo exprimunt. Est lectio singularis.

16. ἐπιπεπτωκὸς solus omittit Syrus, habet Arabs.

32. καὶ ante οὕτως addit Syrus, sed deest in Ar. vers.

33. ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη] Hic Syrus aut alia legit, aut ex Hebraica veritate interpretatus est: *ex carcere & judicio abreptus est.*

34. ἀποκριθεὶς omittunt nostri,

35. τὸν ἰησοῦν] Praemittit uterque, τὸν Κύριον; addit etiam Arabs χριστόν.

37. Vera sunt, quae hic habet & Millius & Beatus Bengelius. Integrum comma & a Syro & ab Arabe omissum est. Opus erat, ut hoc moneremus lectorem, quia insigni consilii temeritate Hutterus, Gutbierius, & Schafius hoc comma ex graeco versum exhibent. Hutterus quidem, cum illaudatum opus suum polyglottum ederet, opinatus (credo) orbem pictum esse sacras literas, ex quarum nobis versione linguae peregrinae discendae sint, & haec & alia, quae deerant, ipse Syriace vertebat, ne quod vocabulum desideraretur. Ineptum quidem consilium, ex quo, dummodo sibi constare ipse voluisset, omnes lectiones ad nostros codices graecos formare debuisset. Gutbierius, ne monito quidem lectore idem fecit. Schaafius autem, religiosior Gutbierio, versum quidem typis exprimi curavit, ipse tamen in variis lectionibus novo testamento subjunctis fatetur, ex Gutbierio eum se descripsisse. Cum neque Huttero, neque (ut nos quidem censemus) Gutbierio (*) codices manuscripti fuerint versionis Syriacae, nec in aliis editionibus hic versus habeatur, facile eorum adparet

(*) Vide Einleitung in die göttl. Schriften des N. B. p. 191.

paret five audacia five incogitantia, veraeque utilitatis, quam ex verfionibus veteribus N. T. fperat criticus, fumma ignorantia.

38. *καὶ ὁ εὐνοῦχος, καί*] Haec a Syro & Arabe omittuntur. Ita quidem comparata funt, ut marginem fapere faftidiofo critico videri poffint; unde miramur, nulla codicum manu fcriptorum fuffragia Syriacae lectioni addi poffe. Caeterum unius Syri auctoritate dicam his vocibus fcribere minime audemus.

IX, 1. *προσελθὼν* omittunt noftri, atque fequentia ita exprimunt, ac fi in graeco exemplo fuiffet, *ᾐτήσατο παρὰ τοῦ ἀρχιερέως*.

11. *ὀνόματι* poft *σαῦλον* omittit Syrus, fed habet Ar.

16. *ἀπῆλθε* omittit S. habet A.

17. *ἰησοῦς* uterque transponit: *dominus Jefus mifit me.*

23. Corrupta videri poteft aut Syriaca aut Arabica verfio. Cum enim graeca, *ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναὶ*, in Syriaca verfione fatis magna licentia expreffa fint, *cum multiplicati effent ibi dies*, ad literam vertit Arabs, *cum abfoluti effent dies multi.*

25. *λαβόντες* omittunt noftri duumviri, quin & pro *καθῆκαν* legiffe videntur, *καὶ ἔθηκαν*. Sic enim Syrus: *tum pofuerunt eum difcipuli in fportam, & demiferunt illum ex muro noctu*; quod graece foret, *νυκτὸς δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτὸν ἔθηκαν, διὰ τείχους χαλάσαντες, ἐν σπυρίδι*.

28. Manco exemplo verfionis Syriacae ufus hic effe videtur Arabs. *Παῤῥησιαζόμενος* verterat Syrus, *& loquens erat manifefte.* Ex Syro vertiffe Arabem conftat, alioquin adverbium MANIFESTE non haberet, quod ex graeca voce exfculpi ab eo non poterat. Cum autem verba media deeffent, male illud conftruxit: *intrabat cum illis & egrediebatur Hierofolymis manifefte in nomine domini Jefu Chrifti*,

29. Omittit Syrus ἐλάλει: habet tamen Arabs.

32. 33. 36. Vide §. VI.

37. Omittunt ἐγένετο.

39. Pro ἐποίει Syrus habet, *dabat illis*, Arabs autem, *faciebat illis*: quorum hoc congruit cum Velesiana lectione, ἐποίει αὐτοῖς.

X, 2. Καὶ, quod a Syro omissum monet Millius, expressit tamen Arabs. Adeo abrupta est constructio Syriaca, ut olim in versione Syriaca lectum fuisse arbitremur.

7. Pro τῶν προσκαρτερούντων accusandi casu legisse videtur Syrus, τὸν προσκαρτεροῦντα.

8. 11. 18. Vide §. VI.

20. Syrus unus ἀλλὰ in initio versus omittit, sed habet Arabs.

21. Ante καταβὰς Syrus, sed ab Arabe destitutus, addit τότε, cum solo Cantabrigiensi & Laudano 3, codicibus latinizantibus. Vidit hoc Wetstenius.

22. Κορνήλιος ἑκατοντάρχης, ἀνὴρ δίκαιος.] Iterum cum Cantabrigiensi concinit Syrus, qui habet Κορνήλιός τις. Vertit enim: *vir aliquis, cujus nomen est Cornelius, centurio.* Intellexit hoc Wetstenius. Multa in uno commate lectionis diversitas; praeterquam enim, quod ΤΙΣ non expressit modo, sed & interpretatus est, transponit quoque ἀνὴρ, & omittit δίκαιος. Et tamen Arabs exacte graeca reddit: *Cornelius, centurio, vir justus.* Videtur ergo Arabs in suo exemplo Syriaco illud assumentum, ΤΙΣ, non legisse, quod in alia exempla ex versione Itala codicibusque latinizantibus translatum est.

23. Syrus & Petri nomen ante ἐξένισεν cum latinizantibus addit, & solus adjicit: *ubi diversabatur*: sed utrumque non habet

bet Arabs. At in medio versus; ubi Syrus (a Millio etiam indicatus) omittit Πετρος, habet illud Arabs.

24. Vide §. VI.

28. ἢ προσέρχεσθαι omittit Syrus, habet Arabs.

30. Illis codicibus interpretibusque, qui νηστεύων omittunt, addendus etiam est Arabs Erpenii. Lectionem tamen graecam consuetam minime solicitandam ducimus, sed omissionem verbi infulsulis librariis imputamus, quorum cum manus mercede conductae essent ad scribendum, ultro ingenii partes susceperunt, corrigentes quae non intelligebant. Nimis rigidum his videbatur Cornelii jejunium per quatuor dies servatum. At salva res est: alia ratione interpretari licet graeca Lucae verba, in hanc quidem sententiam: *quarto ab hac hora die jejunans eram.* Non dicit, se omni illo tempore jejunasse, sed ante hos quatuor jejunasse dies, atque tum sibi angelum visum esse. Sed haec non hic disputamus, nec asseveramus, interpretibus relinquenda.

33. Pro νῦν οὖν Syrus expressit, ἰδοὺ, in quo proximus est Cantabrigiensi, νῦν ἰδοὺ habenti. Sed defecimus ab Arabe.

ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ recte expressit Arabs, quamvis (Millio etiam docente) a Syro depravatum ad lectionem latinizantium in ἐνώπιόν σου.

41. Latinizat hic Arabs sine Syro: cum solis enim codicibus, Cantabrigiensi & Laudano tertio, exemplisque versionis Italae, addit, *quadraginta dies.* Quod mihi observanti suspicio nata est, fuisse alios codices versionis Syriacae, quos latinizans ista lectio invaserit, nec me jam suspicionis poenitet, postquam ex Wetstenii N. T. intellexi, versionem Syriacam Philoxenianam, quamquam cum asterisco, idem habere latinizans assumentum. En

ergo

ergo ea, quae §. V, conjectura & suspicione persequutus sum interpolationis vestigia: nempe ex latinis aut certe latinizantibus exemplis primum in Philoxenianam versionem lectio haec irrepsit, ex qua deinde in aliquos codices vulgatae Syriacae, atque adeo in illum, quem Arabs interpretabatur, translata est. Quod autem hic factum est, idem saepius factitatum verisimile est.

43. Vide §. VI.

47. Pro *ἀπεκρίθη* Syrus cum solo Cantabrigiensi habet *εἶπε*: verbum autem utrumque expressit Arabs.

48. Tertium versus verbum Syrus non legit *αὐτοὺς* sed *αὐτοῖς*, cum sequaci suo Arabe vertens: *tunc praecepit illis ut baptizarentur:* quamvis latinae versiones, ne Schaafiana quidem excepta, *eos* scribant. Congruit ergo Syriaca versio cum solis codicibus, Alexandrino & Lincolniensi secundo, cujus & antiquitatem, & lectiones laudat Wetstenius, T. II. proleg. p. 14.

XI, 1. Solum Cantabrigiensem sequutus pro, *audiverunt apostoli*, habet, *auditum est apostolis*: graece, *ἀκουστὸν δὲ ἐγένετο τοῖς ἀποστόλοις καὶ τοῖς ἀδελφοῖς*. Arabs tamen graecis exemplis concinit. Ingens assumentum, quod hunc versum in Cantabrigiensi excipit, non habent nostri.

3. Falsum est, quod tradit Millius, Syrum omisisse *ὅτι*. Habet, ac per Dolath expressit. Miror, hoc Millii erratum Wetstenium retinuisse.

In fine versus habet, *εἰσῆλθε καὶ συνέφαγε*, non secunda sed tertia persona, in quo septem codices suffragantes habet, ex quibus tamen tres (nempe Stephani δ. & ια. ac Colb.) aperte latinizant. Vide Wetstenius. Arabs contra Syriacam versionem cum graecis codicibus plurimis facit.

4.

4. Vide §. VI.

5 Syrus omittit πόλει ante Ἰόππῃ, addit autem ὅτι: utrumque dissentiente Arabe.

ὀθόνην μεγάλην] Ultimam vocem omittit solus, ab Arabe etiam destitutus Syrus. Fallitur autem Wetstenius, qui putat Syrum pro ὀθόνην legisse χιτῶνα. Nempe vertit ܟܬܢܐ, quod tunicam interpretatus est Wetstenius, cum tamen Syris *linteum* sit, exprimatque graecum ὀθόνιον Luc. XXIV, 12. Jo. XIX, 40. XX, 5. 6. λίνον Apoc. XV, 6. & σίνδων Matth. XXVII, 59. Marc. XV, 46. Luc. XXIII, 53.

εἶδον ἐν ἐκστάσει ὅραμα] Pro his habet Syrus, εἶδον ἐν ὁράματι. Iterum tamen graecis concinit Arabs.

Finem versus recte ad graeca exprimit Syrus, *& venit usque ad me*: at Arabs, *donec veniret ad me.*

6. τῆς γῆς transponit Syrus, habetque post τὰ ἑρπετά. Arabs & hanc vocem ponit justo loco, & habet τὰ θηρία, quod a Syro omitti Millius jam indicavit.

7. Pro ἤκουσα δὲ - - - ἀναστὰς, habent nostri ut Cantabrigiensis, καὶ ἤκουσα - - - ἀνάστα.

8. Omittunt πᾶν ante κοινὸν, cum latina codicum familia. Annotavit Wetstenius.

9. ἐκ δευτέρου omittit Arabs, quamvis & Syrus & Coptus habeat.

10. πάλιν omittit Syrus, sed habet Arabs.

11. ἰδοὺ Syrus omittit, sed iterum habet Arabs, quamvis nec ex Copto vertere vocem potuerit.

ἐπὶ

ἐπὶ τὸν πυλῶνα τῆς οἰκίας, ita plenius nostri legunt, ex capite X hunc versum supplentes.

ἀπὸ τοῦ Κορνηλίου addit Syrus, non Arabs.

12. σύνελθε habent nostri pro συνελθεῖν, prorsus ad solum codicem Augustanum 6, cujus excerpta Bengelius dedit.

15. Syrus post ἄρξασθαί με addit, ἐκεῖ, sed ab Arabe destituitur.

17. Pro αὐτοῖς habet Syrus, τοῖς ἔθνεσι, sed sine Arabe.

18. In fine hujus versus Arabs omittit, μετάνοιαν - - εἰς - - ac vertit: *adeone forte gentibus Deus dedit vitam.*

19. Falsum est, exque sola in bibliis polyglottis versione latina haustum, quod scribit Millius, Syrum post λόγον addere θεοῦ. Recte ergo hanc lectionem omisit Wetstenius.

20. Putat quidem Millius, Syrum cum Alexandrino, vulgata versione, aliisque, pro ἑλληνιστὰς legisse ἕλληνας: neque tamen hoc liquet, cum §. VI. ad Act. IX, 29. quodammodo perfecisse mihi videar, antiquam versionem Syriacam graecum ἑλληνισταὶ nunquam aliter reddidisse quam ἕλληνες, nempe ܝܘܢܝ̈ܐ

23. Πάντας omittit Syrus post παρεκάλει, sed habet Arabs. Ex Syro ea vox facile excidere potuit, quod statim simillima recurrebat, namque προθέσει καρδίας vertit: ܒܟܠܗ ܠܒܗܘܢ *omni corde suo.*

25. Verum est, quod Millius scripsit, Syriacum N. T. (ut nunc est) Barnabae nomen omittere, in quo latinizantibus congruit, ipsique adeo Cantabrigiensi, a cujus longa tamen interpolatione castum est. Ipsum autem hoc Barnabae nomen, neque Copto lectum, expressit Arabs, ex Syro? an aliunde haustum?

Post

Post ἤγαγεν soli omnino nostri addunt, *secum*, paraphrastice? an quod Syrus legit σὺν αὐτῷ?

26. ἐγένετο δὲ cum solo omittunt Cantabrigiensi, a quo in reliquis valde discrepant, ut vix verum hunc consensum dicere audeam. Addit Arabs paraphrastice, *commorati sunt*, quod non habet Syrus.

27. ἐν ταύταις δὲ] pro eo nostri habent, καὶ ἐν ταύταις.

Pro κατῆλθον Syrus habet ܐܬܘ *venerunt*, latinae vulgatae similis, in qua legitur, *supervenerunt:* Arabs tamen *descensus* significationem verbo نزل curatius expressit.

30. ὃ καὶ ἐποίησαν, solus omnino omittit Syrus, habet Arabs.

XII, 1. Quod, Millio jam docente, Syrus post ἡρώδης ὁ βασιλεὺς addit, *qui cognominatur Agrippas*, recentius est assumentum, ab Arabe non expressum.

2. Pro ἀνεῖλε δὲ Syrus legit, καὶ ἀνεῖλε, ex codicibus uni concinens Cantabrigiensi.

5. προσευχὴ ἐκτενὴς, quod latina expressit, *sine intermissione*, etiam nostri verterunt, *preces perseverantes*. Nec tamen certum hoc alius lectionis indicium.

6. ἡρώδης solus omittit Syrus, ne Arabe quidem concinente.

7. ἰδοὺ omittit Syrus, habet Arabs.

πατάξας] Hic sine dubio ex latinizante codice corruptus est Syrus. Cum enim solus Cantabrigiensis legat, νύξας, *pungens*, quam lectionem ex latinis patribus Lucifer Calaritanus expressit, Syrus habet, ܥܩܨܗ *pupugit illum:* atqui ex ipso olim expresserat Arabs لكمه *pugno percussit*.

10. διελθόντες] Haud pro certo dixerim, quid hic legerit Syrus, vertit enim, *cum transiisset prima & secunda custodia* (*), cui lectioni etiam concinit Arabs. Similiora quidem Graecis Syriaca reddere studens Schaafius vertit, *cum praeterita esset custodia prima & secunda*: verum id fit contra usum verbi Syriaci, atque ne sic quidem apparet, cur graeca plana, *cum transiissent custodiam*, implicatius vertere interpres Syrus voluerit, *cum praeterita esset custodia*. Verborum, certe ut nunc leguntur, Syriacorum sententiam rectius expresserunt polyglotta: *cum transacta esset custodia prima & secunda*. Unde autem haec tam singularis lectio? Equidem ut primum in eam incidebam suspicabar id, quod jam alia ratione confirmari video. Citat Millius Calaritanum, qui pro διελθόντες habeat διελθών. Eandem lectionem expressisse Syrus videbatur per ܥܒܪ *transit*, quod de solo Petro intelligi debebat; id autem non intelligentes librarii mutarunt in femininum ܥܒܪܬ, hoc putantes dici, non custodiam, sed vigiliam primam & secundam noctis transiisse. Quam conjecturam nunc etiam audentius promo, postquam ex Wetsteniano N. T. didici, in versione Syriaca Philoxeniana expressum ἐλθὼν esse. Mirum, quod nihil de lectione Syriacae antiquae addidit.

Omittit Syrus sine ullo alio codice, atque contra versionem Arabicam, in medio quidem versu τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν, (quod Wetstenius jam monuit) atque circa finem εὐθέως. Librariorum hanc culpam, non interpretis arbitror.

11.

(*) Scio, Wetstenium in codice Syriaco, ex quo epistolas Clementis Romani edidit, legisse ܟܕ ܥܒܪܘ quod prorsus ad graeca est. Verum cum lectionem Syriacam editionum Arabs etiam expresserit, liceat nobis de ejus origine differere.

11. Non observaveram ipse, quod Wetstenii me variae lectiones docuerunt, pro καὶ in initio versus Syrum legisse τότε: cui vicissim Arabis in eandem lectionem consensum addo. Pro ἀληθῶς ὅτι, quod Syrus recte ad graeca vertit, habet Arabs, ὅτι ἀληθῶς, Cantabrigiensi, Laudano tertio (ex quo Wetstenius hanc lectionem eruit) Calaritano & Chrysostomo congruens.

12. Ad varias lectiones, an ad meras interpretationes pertinet, quod pro οὗ ἦσαν, *ubi erant*, Syrus expressit, *propterea quod erant*, ac si legisset, ὅτι ἦσαν ἐκεῖ? Arabs certe hic eum deserit; ipse sua vice desertus a Syro, cum sub finem versus nostri ἱκανοὶ, a Syro Coptoque redditum, omisit. Ibidem uterque cum Laudano secundo addit, ἀδελφοὶ, quod bene Wetstenius indicavit. Plures olim eandem lectionem habuisse, a Complutensibus quoque expressam, auctor est Chrysostomus.

13. τοῦ πέτρου (pro quo Syrum cum latinizantibus habere αὐτοῦ jam ex Millio notum est) habet Arabs ad graeca.

Pro προσῆλθε Syrus habet προῆλθε ܢܦܩܬ *egressa est*, at Arabs, جاءت *venit*. Video lectionem Syri concinere cum Vulgata latina, quae vertit, *processit*, eandemque lectionem a Wetstenio, quamvis nihil de Syriaca versione addente, citari ex codice Corsendoncensi quo olim Erasmus usus est. Cum eodem jam codice in lectionem latinizantem consenserat Syrus cap. IV, 5.

De ὑπακοῦσαι §. II. dixi quantum satis est.

14. οὐκ ἤνοιξε, *non aperuit*] Syrus, ab Arabe destitutus, cum solo Laudano tertio addit αὐτῷ. Syri lectionem Wetstenius, Laudani codicis (quem nescio qua caussa hic omisit) Millius indicavit.

16. Vide §. VI.

17. Post σιγᾶν Syrus, ab Arabe etiam destitutus, cum solo Cantabrigiensi habet, εἰσῆλθε. Recte id jam indicavit Wetstenius.

18. Pro οὐκ ὀλίγος habent nostri μέγας, quae lectio est codicum Coislinianorum duorum (numero 25. & 202. insignium) & codicis primi collegii novi, quem Wetstenius tertium dicere ac numero 36. in actis apostolorum significare solet.

19. Pro ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι habet Syrus, *jussit mori*, quod & Wetstenius observavit, & docuit ita in Cantabrigiensi a prima manu scriptum fuisse.

20. ἦν δὲ Syrus vertit, *quoniam erat* iratus, ac si legisset, ὅτι δὲ ἦν.

21. πρὸς αὐτοὺς omittit Syrus. Sed lege §. VI, eundemque confer ad φωνὴ v. 22.

24. ηὔξανε solus omnino Syrus & Arabs verterunt, *praedicabatur*, ut aliud videantur verbum legisse.

25. καὶ ante Ἰωάννην omittunt nostri cum vulgata latina, Alexandrino codice, primoque collegii novi.

XIII, 1. Haud scio, an praeter allatas jam a Millio lectiones nostri τὴν οὖσαν soli omiserint: verba enim, ἐν Ἀντιοχείᾳ κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, verterunt *in ecclesia Antiochiae*.

μαναὴν] Verum quidem est, Syriaca exempla, quae nunc sunt, habere *Manael*, in qua lectione cum codice Stephani β consentiunt, is vero est, si Wetstenium audiamus, ipse Cantabrigiensis (*). Arabs autem, qui *Manain* habet, novitatis & interpo-

(*) Vide ejus prolegomena Partis I. p. 30. atque, ubi contra anonymi objectiones suam defendit sententiam, p. 34-37. In hoc quidem

terpolationis suspectum hunc Syriacae versionis cum codice latinizante consensum reddit.

5. τοῦ Θεοῦ, ita Arabs ad graeca expressit, quamvis, docente id Millio, Syrus cum Cantabrigiensi habeat, τοῦ Κυρίου. Tantus in hoc versu Arabis cum Syro consensus est, ut hic dissensus mendum exemplorum Syriacorum arguat.

11. ἰδοὺ omittit Syrus. Arabs idem faciens perquam pleonastice addit [Arabic] HAEC *manus domini*, ut fere videatur corrector aliquis talem lectionem, qualis in Cantabrigiensi est, ubi pro χεὶρ legitur ἡ χεὶρ, justo argutius exprimere voluisse.

15. Falsum est, quod tradit Millius, Syrum pro εἰ ἔστι legisse, εἴ τις ἔστι. Hausit hunc, ut alios errores, ex interpretatione latina Syriaco N. T. in bibliis polyglottis adjecto. Haec enim pro Syriacis ܐܢ ܐܝܬ ܠܟܘܢ ܡܠܟܐ (*si contingit esse vobis*) nimis latine habet, *si quis est in vobis*.

17. Ἰσραὴλ, quod observante Millio omittit Syrus, Arabs nihilominus habet.

Pro τὸν λαὸν ὕψωσεν Syrus habet (αὐτοὺς) *ipsos exaltavit*: sed consuetam lectionem tenet Arabs.

20. μετὰ ταῦτα omittunt nostri, soli Cantabrigiensi concinentes. Ex Wetstenio disco, idem facere versionem Syriacam Phi-

quidem loco aliqua dubitandi ratio: codex enim Stephani β legit μαναήλ, nec tamen hanc lectionem sive alii ex Cantabrigiensi excerpserunt sive ipse adeo Wetstenius, qui eum diligentius excussit. Si quis Wetstenii prolegomena pag. 37. legerit, intelliget, quid ad hanc objectionem responderi possit: nempe, si verum est codicem β & Cantabrigiensem eundem esse, forte lapsus est operarum Stephani, quo pro alius codicis nota β expresserunt.

Philoxenianam. Mirum, quod eam diligenter excerpens de lectione versionis antiquioris nihil addiderit.

27. τοῦτον ἀγνοήσαντες, *hunc ignorantes*] Errat Millius, a versione latina polyglottorum minime fida deceptus, cum scribit, Syrum legisse τοῦτο. Vertit ille, ܠܐ ܐܣܬܟܠܘ ܒܗ, quod optime ad sententiam graecorum codicum reddi poterat, *non intellexerunt illum.*

τὰς φωνὰς, quod monente Millio Syrus cum solis Cantabrigiensi & Laudano 3 in γραφὰς mutat, Arabs reddit *dictum.*

29. Pro ξύλου *ligno* cum solo Laudano tertio Syrus habet σταυροῦ: interpolationis vero ab Arabe arguitur, qui habet, *ex ligno.*

34. Cum eodem Laudano tertio nostri post ἀνέστησεν addunt ὁ θεός. Qui consensus neque hic neque v. 29. fugit Wetstenium.

35. διὸ in initio versus cum solo Cantabrigiensi omittunt.

42. Pro εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον iterum cum solo Cant. habent εἰς τὸ ἑξῆς σάββατον. Reliqua recte indicavit Millius.

43. Habet quidem Syrus, ut docuit Millius, τὸν θεὸν post σεβομένων: cum autem Arabs Dei nomen non habeat, lectionem codicum graecorum tantum non omnium exprimens, ex recentiore versione antiquam Syriacam hic interpolatam esse suspicari coepi, postquam ex Wetstenii variis lectionibus didici, etiam Philoxenianam versionem τὸν θεὸν habere. Est quidem lectio latinizans, quam ex codicibus ad nostra tempora servatis atque excussis solus Laudanus tertius habet: cui Velesianos libros, codicemque quo usus Beda esset, addit Millius.

αὐτοῖς post προσλαλοῦντες omittit Syrus cum haud paucis codicibus, quibus ejus nomen Wetstenius jam addidit: habet tamen Arabs.

47.

47. Poſt ὁ Κύριος noſtri cum ſola verſione Coptica addunt, *quemodo ſcriptum eſt.*

48. 49. In initio utriusque hujus verſus cum ſolo Cantabrigienſi pro δὲ noſtri habent καὶ. Lectio talis eſt, ut apud Syros potius quam latinos, niſi alia intercedant, nata ex paraphraſi videri poſſit, cum orientales ſuo Vau pro omnibus fere particulis ſermonem nectentibus utantur. Aliquid certe ex Syriaca verſione in latinas manaſſe deinceps veriſimile reddam.

XIV, 2. Nimis acutum diligentemque cenſeo Millium, qui tradit, Syrum pro ἀπειθοῦντες legiſſe ἀπειθήσαντες: utrumque enim horum eadem ratione redditurus fuiſſe videtur.

In fine verſus noſtri ſoli habent, ἐπήγειραν τὰ ἔθνη, ἵνα κακώσωσι τοὺς ἀδελφούς. Eſt ingens ad haec verba diſſenſus Cantabrigienſis Laudanique tertii a reliquis codicibus, ita tamen, ut cum amica ſibi alias verſione Syriaca non conſpirent.

3. Millius docet, καὶ ante διδόντι cum haud paucis codicibus graecis etiam Syrum omiſiſſe. Neque vero tam hoc dici vere poterat, quam totam orationis ſeriem ſumma hic licentia in Syriaco N. T. turbari. En ut a graecis diſcedant.

gr. ex ed. Millii	ex verſ. Syr.
ἱκανὸν μὲν οὖν χρόνον διέτριψαν	ἱκανὸν μὲν οὖν χρόνον διέτριψαν
παῤῥησιαζόμενοι ἐπὶ τῷ Κυρίῳ	ἐκεῖ παῤῥησιαζόμενοι ἐπὶ τῷ Κυ-
τῷ μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ τῆς χά-	ρίῳ τῷ μαρτυροῦντι ἐπὶ τῷ λόγῳ
ριτος αὐτοῦ καὶ διδόντι σημεῖα καὶ	τῆς χάριτος αὐτοῦ σημείοις καὶ
τέρατα γίνεσθαι, διὰ τῶν χειρῶν	τέρασιν, ἃ ἐποίησε διὰ τῶν χει-
αὐτῶν.	ρῶν αὐτῶν,

Ex quibus ἐκεῖ & ἐπὶ redundans, atque hoc Alexandrino, illud Laudano tertio conſentiens, notavit jam Millius: quae autem eſt circa finem verſus lectionis diverſitas, eam nulli codici ac ne Arabi quidem concinere intellexi.

4. Syriaca versio, qualis nunc est, cum unico Cantabrigiensi mirifice congruit. Cum enim hic pro ἐσχίσθη habeat, ἦν ἐσχισμένον, & pro σὺν τοῖς ἀποστόλοις interpolate legat τοῖς ἀποστόλοις κολλώμενοι, Syrus & participio usus est in superiore voce reddenda, ܡܬܦܠܓܐ ܗܘܐ *divisa erat* (quod tamen anceps videri, atque etiam graecis respondere queat) & finem versus expressit, *adhaerentes erant apostolis.* At utrobique mendi & interpolationis latinizantis arguitur ab Arabe graeca simpliciter exprimente: eaque mihi jam tum nata suspicio cum primas meae commentationis lineas ducerem, eas emendatius describenti mirifice confirmatur, postquam ex Wetstenio intellexi, codici versionis Syriacae recentioris Ridleyano in margine adscriptam esse lectionem latinizantem Cantabrigiensi codici geminam, κολλώμενοι διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Quam facile illa, margini simplicis forte versionis itidem adscripta, ex margine in textum transferri ab imperito librario potuit?

(*) 7. ὑπάρχων post μητρὸς αὐτοῦ a Syriaca versione abesse docuit Millius. Librarii tamen culpa id accidisse reor, qui verbum ܗܘܐ *fuit*, olim hoc loco ab Arabe lectum atque ex Syro Arabice redditum, ad praecedentia verba, *infirmus pedibus*, transtulit.

9. (al. 10.) Ex duabus lectionibus Syri a Millio indicatis posteriorem non habet Arabs. Expressit enim ὀρθῶς, quod ex Syriaco textu sola librarii negligentia excidisse reor.

12. (al. 13.) σὺν τοῖς ὄχλοις omittit Syrus, habet Arabs.

13. (al. 14.) οἱ ἀπόστολοι, quod cum solo Cantabrigiensi Syrum omittere ex Millio discitur, habet Arabs. Miror tamen, lectionem a Millio jam indicatam, Wetstenium neglexisse. Utinam nunquam tale quid in codicibus admiserit! Longe

(*) Vel v. 8. Citabo autem hunc & sequentes versus numeris, qui illis in Syriacis N. T. editionibus dantur.

Longe etiam digniorem notatu lectionem, quae tamen Wetstenii diligentiam non fugit, Millius omisit; declinatur ita dicam coloris. Quod enim in graecis exemplis plurimis fit, *discurrerunt*, *insilierunt*, recte quidem Arabs ex Syro uno verbo reddidit وثبوا *insilierunt*, ut & olim Syrus unica voce usus videatur. At cum latina, eodem licet sensu, habeat *exsilierunt*, ambiguitas latinae vocis eos fefellit librarios, qui codices graecolatinos stolido consilio ad latina, nec vero semper recte intellecta, exigebant: unde Cantabrigiensis, Laudanus tertius, quin & ipse jure (*) pro latinizante habitus Alexandrinus, Coislinianus praeterea 202, collegii novi tertius, & Petavianus tertius, ἐξεπήδησαν habent, mutata sententia. Ἐξεπήδησαν enim est, *exsilierunt & ex aedibus proruperunt.* Atqui Syrus qualis nunc est habet, *saliebant & egrediebantur*, quod assumentum Arabi non lectum vix aliunde quam ex latinizantibus codicibus accepisse videtur.

21. (al. 22.) ἡμᾶς post δεῖ omittit Syrus, habet Arabs.

26. (al. 27.) παραγενόμενοι omittit Syrus, habet Arabs.

XV, 2. Pro ἔταξαν solus Syrus habet, ἐγένετο, sed sine Arabe.

4. Pro ἀνήγγειλάν τε ὅσα Syrus habet, ἀνήγγειλάν τε αὐτοῖς πάντα ὅσα. Consentit quidem in lectione singulari Arabs, sed cum in tota hac pericopa alienus a Syro sit, suspicor, Copticae id versioni acceptum referendum, quae ipsa hanc lectionem habet.

7. ἐν ἡμῖν haec verba cum solo Vindobonensi omittit Syrus, a Wetstenio indicatus: Arabs autem cum Alexandrino, Corsendoncensi & Petaviano tertio, Irenaeo & constitutionibus apostoli-

(*) Vide Wetstenii prolegomena Partis I.

cis legio ἐν ὑψίςῳ. Videtur hanc lectionem Copticae versioni debere; quae testibus a Millio Wetsteniοque excitatis addi potest. Est autem Arabis Coptique lectio fere latinizans; nam & Cantabrigiensem codicem ad latinam versionem nonnunquam refictum esse docet Wetstenius Tom. I. p. 46. & codicem Petavianum latinizare observasse mihi videor.

13. Pro ἀπεκρίθη Ἰάκωβος Syrus (a Wetstenio non neglectus) cum solo Cantabrigiensi legit ἀναστάς. Contrarium sibi habet Arabem.

18. In hoc versu valde dissident Syrus & Arabs, suas quisque lectiones notatu dignas habentes, quas Millius neglexit.

Sic ergo Arabs, cum superiore versu nostrum conjungens: *dicit dominus, faciens hanc rem,* (femin.) NOTUM (in masculino genere) *domino ab aeterno:* ut legisse videatur γνωστὸν ἀπ' αἰῶνος τῷ Θεῷ, quae est latinizantium codicum duorum, Alexandrini & Cantabrigiensis, lectio, in margine etiam Philoxenianae versionis a Wetstenio reperta; nisi quod pro Θεῷ habet Κυρίῳ. Ea autem, quae deinde sequuntur, πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ omittit. Video hanc esse & Copticae versionis lectionem, quamvis id indicare Millius Wetsteniusque neglexerint, ex qua credo hanc laciniam Arabicae versionis, tam a Syriaca diversam, factam esse.

At Syrus omnino solus pro τῷ Θεῷ habet τοῦ Θεοῦ, omittens αὐτοῦ, in quorum altero unum ei video concinere Petavianum tertium, omittitque πάντα, in quo cum Alexandrino, Cantabrigiensi, Petaviano 3, Velesianis, & vulgata latina ei convenit. Illud vero falsum, quod Millius scripsit, eum pro ἔργα habere ἔργον, itemque quod Wetstenius addidit, ἐστὶν ab eo omitti. Vertitur per ܐܢܘܢ quod Syris SUNT significat. Sic er-

go

go legit Syrus: γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ: sic Arabs: ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα, γνωστὸν ἀπ' αἰῶνος, i. e. qui fecit haec omnia: nempe id quod jam olim ex vaticiniis prophetarum notum fuit.

20. Pro ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων Syrus legit; ἀλισγημάτων τῶν εἰδωλοθύτων, vertitque, *ab impuritate sacrificiorum.* Arabs etiam, non expresso licet priore vocabulo habet, *a mactatis idolo.* Codicem consentire nullum video, nisi quod sola versio Coptica, a lectionum compilatoribus neglecta, prorsus cum Arabica, & quodammodo cum Syriaca facit: habet enim interprete Wilkinsio, *a sacrificiis idolorum.*

22. ἄνδρας nemine consentiente, atque etiam contra Arabicam versionem, omittit Syrus.

23. Post γράψαντες indicatus a Wetstenio Syrus cum uno Cantabrigiensi, codicibusque latinis quibusdam, addit ἐπιστολήν: non autem habet Arabs.

27. ἀπεστάλκαμεν. Unus Syrus, atque ab Arabe etiam destitutus addit σὺν αὐτοῖς.

29. ἐν τῷ Κυρίῳ, quod Syrum addere docuit Millius, non habet Arabs, cujus tamen dissensus in hac pericopa, quae tota Coptici coloris est, non eo valet, ut exempla Syriaca mendi arguamus.

30. Pro ἀπολυθέντες Syrus legisse videtur ἐκπεμφθέντες, siquidem vertit, *illi qui missi erant,* quod verbo ἀπολυθέντες minime respondet. Concinit jam iterum cum Syro Arabs: nullus autem codex, hucusque excussus, cum nostris versionibus facit. Mihi quidem lectio latinizans videtur: cum enim Vulgatus interpres recte ἀπολυθέντες ac bene reddat, *dimissi,* posuit li-

brarius ex latinis graeca confingens existimare, hic ut alibi latino verbo *dimittere* graecum ἀπολύω respondere.

31. Pro ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρακλήσει solus Syrus, ne Arabe quidem socio, habet, *gavisi & solatio adfecti sunt*, ac si legisset, ἐχάρησαν καὶ παρεκλήθησαν.

32. Ἰούδας τε καὶ Σίλας Syrus vertit, *illi qui erant domus Judae & Silae*, ac si legisset, οἱ περὶ Ἰούδαν καὶ Σίλαν. Dissidet Arabs.

34. Recte docet Millius, hunc versum a Syriaca versione abesse; quem inutiliter ex graeco Syriace vertit Tremellius; ineptius etiam ac pejus in textum suum recepit Gutbierius: quasi vero recentem aliquam Tremellii versionem Syriacam, non antiquam illam averemus. Sciendum tamen, in Arabe Erpenii versum legi. Dubium, unde Arabs hauserit, est enim (quod Wetstenio debemus) in versione Syriaca recentiore. Quod si ex hac sumsit Arabs, suspicio est, antea ex ea in quaedam exempla versionis antiquae Syriacae immigrasse.

36. τινὰς omittit Syrus solus, habet Arabs, vertitque *paucos*.

38. Pro ἠξίου Syrus cum Arabe, post longum dissidium tandem in concordiam redeunte, legit οὐκ ἐβούλετο, soli concinens Cantabrigiensi. Nec tamen λέγων habet, quod idem Cantabrigiensis addit.

Ex τὸ ἔργον solus omnino Syrus omittit, ab Arabe illud habente eo certius mendi convictus, quod totum versum ex Syro habet.

XVI, 1. Ἰδοὺ ante μαθητής soli nostri omittunt.

2. Solus, atque etiam ab Arabe destitutus, nomini ἀδελφῶν addit πάντων.

3. Ab Arabe iterum destitutus pro ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, habet, ἐν τῷ τόπῳ. Ex Wetstenii variis lectionibus intelligo, hanc lectionem esse codicis Leicestrensis, quem pag. 53. prolegomenorum tomi primi ut codicem seculi XIV. valde latinizantem, ac Cantabrigiensi cognatum describit. Mirum, eum nihil de consensu Syri addere.

4. παρεδίδουν αὐτοῖς φυλάσσειν τὰ δόγματα, Syrus, sed sine Arabe vertit, *praedicabant & docebant illos, ut servarent praecepta.* Negligerem hoc ut paraphrasticum, nisi ita in Cantabrigiensi esset, ἐκήρυσσον καὶ παρεδίδοσαν αὐτοῖς. Unde in vulgatam versionem Syriacam manaverit, certius suspicari jam licet, postquam Wetstenius, notam & antiquam versionem Syriacam negligens, monuit tamen, recentiorem addere καὶ ἐκήρυσσον.

τὰ κεκριμένα Syrus, iterum sine Arabe atque adeo sine ullo suffragio, exprimit, *quae scripserant*, ac si in suo exemplo habuisset, τὰ γεγραμμένα. Facilis hic in describendo error fuit, utriusque verbi sono cognato, si K mollius aut Γ fortius appelles.

7. ἐπείραζον. Soli iterum Cantabrigiensi similis Syrus, qui expressit, ἤθελον. Nescio quibus Arabem annumerem, verbum enim ائتمر quo usus est, & *velle*, & *deliberare* significat.

κατὰ Βιθυνίαν. Illis accedit Syrus, qui pro κατὰ legunt εἰς, idque Wetstenius teste monuit. Supra etiam κατὰ τὴν Μυσίαν, verterat, ac si esset, εἰς τὴν Μυσίαν, sed ibi deseritur ab Arabe hic consentiente. Probant hanc lectionem & Bengelius & Wetstenius.

8. Pro παρελθόντες Syrus habet διελθόντες, alia auctoritate nulla confirmatus, nisi quod Arabs huc trahi possit.

8. Pro

Pro *κατέβησαν* Syrus, non item Arabs, habet *venerunt*, soli iterum concinens Cantabrigiensi, in quo legitur, *κατήντησαν*.

9. *καὶ ὅραμα διὰ τῆς νυκτὸς* Syrum, Wetstenio indictum cum unico Cantabrigiensi faciens, vertit *& in visum nobis*, ac si fuisset in graeco, *ἐν ὁράματι* [illegible]. Arabem non cito, neque graeco, neque Syriaco, sed Coptico exemplo similem.

10. *καὶ ὥστε παρακαλῶν* nostrae versiones cum septem codicibus addunt, quorum aliqui manifeste latinizant. Indicavit Wetstenius, docuitque idem facere versionem Syriacam recentiorem.

12. Pro *πρώτη τῆς μερίδος τῆς μακεδονίας* habent nostri *caput Macedoniae*, prorsus cum solo facientes Cantabrigiensi, exhibente *κεφαλὴ τῆς μακεδονίας*. Partem hujus lectionis ex Syro excerpsit Wetstenius, partem omisit. In omissione vocabuli *τῆς μερίδος* video cum nostris etiam congruere codicem *Coislinianum* 199. a Wetstenio excitatum.

14. Omittunt soli nostri *ἤκουεν*, & valde transponunt reliqua. Vide §. III.

15. *ὡς δὲ ἐβαπτίσθη*] Syrus: *& baptizata est*: Arabs: *tunc baptizata est*: ac si *ὡς* defuisset. Confirmandae lectionis caussa, cujus in lectionum variarum indicibus nulla legitur auctoritas, addo & textum Copticum *ὡς* omittere: qui & cum solis nostris *ἡμᾶς* post *παρεκάλεσεν* addit.

18. Omittunt soli nostri *καὶ ἐπιστρέψας*.

19 20. Verum quidem est, quod ad finem versus decimi noni scribit Millius, deesse in Syro *ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας*: sed quae de hac lectione in prolegomenis §. 1252. habet, mirifice a vero abludunt. Solius enim Syri auctoritate haec verba damnat ac pro scholio habet ex margine in textum translato, quia deinde non

ad

ad principes ſed ad ſtrategos deducti dicantur Paulus & Silas. Audax criſis, nimiumque uni verſioni tribuens. Verum hic ipſe Syrus, cui tantum credit Millius, ἄρχοντας ne omnino quidem omiſit, ſed in ſequentem verſum trajecit, cujus graeca τοῖς στρατηγοῖς, vertit, *ad ſtrategos & principes civitatis.* Sic igitur una cum Arabe legit: εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν, καὶ προσαγαγόντες αὐτοὺς τοῖς στρατηγοῖς καὶ τοῖς ἄρχουσι τῆς πόλεως: quae lectio, a nullo codice confirmata, non video cur placere prae conſueta debeat.

22. Pro ὄχλος habent ὄχλος πολὺς: quam lectionem Cantabrigienſi codici & tertio Covelli a Millio tribui video, ex quibus illum Wetſtenius omiſit, neſcio qua de cauſſa, lapſune? an quod noverat non ita legi in Cantabrigienſi? Cum ſolo Covelliano, jam ſupra c. I, 18. VII, 29. Syro convenit.

27. Pro σπασάμενος, *ſtringens* gladium, Syrus habet λαβόμενος, *cepit* gladium: at Arabs, in omni hac pericopa verſuque hoc ipſo Syri ſimillimus, tamen habet, *traxit* ſeu *ſtrinxit*.

29. Pro αἰτήσας δὲ φῶτα habent, *& accendit ſibi lucem,* ac ſi ἅψας legiſſent. Singularis omnino lectio: a qua proxime quidem, ſed magno tamen intervallo, abeſt Coptica verſio, Wilkinſio interprete habens, *ſumſit autem lucem.*

Καὶ ante ἔντρομος omittunt.

Poſt προσέπεσε, obſervante quoque Wetſtenio, addunt πρὸς vel ἐπὶ τοὺς πόδας, cum Cantabrigienſi, Vulgata, & Luc. Calarit. Habere haec verba, ſed obolo damnata, verſionem Syriacam recentiorem auctor eſt Wetſtenius.

35. Pro λέγοντες, quod ex vulgari editione graeca ad mittentes ſtrategos referendum erat, cum ſolo Cantabr. habent λέ-

 γον-

γοντας, accusandi casu, quippe vertunt, *ut dicerent*, adduntque soli τῷ δεσμοφύλακι.

36. Versui praemittunt ἀκούσας καὶ εἰσελθών, illud soli, hoc cum Cantabrigiensi.

37. Pro πρὸς αὐτοὺς exprimunt nostri, πρὸς αὐτὸν, mutata etiam sententia.

Pro ἀκατακρίτους exprimere videntur id, quod habet apud Millium (cur enim Wetstenius omiserit, ignoro) Cantabrigiensis, ἀναιτίους: habent enim, *sine scelere*.

38. Addunt ab initio, *& discesserunt*.

40. Post ἰδόντες addunt ἐκεῖ.

Falsum est, quod tradit Millius, Syrum in fine versus omittere καὶ ἐξῆλθον. Deest quidem in bibliis polyglottis, sed & habent reliquae editiones, & expressit ex Syro Arabs.

XVII, 2. Pro τῷ παύλῳ cum unico Cantabrigiensi habent ὁ παῦλος.

4. Pro γυναικῶν, iterum cum solo Cantabrigiensi, in casu primo habent, γυναῖκες.

6. Post εὑρόντες αὐτοὺς soli habent ἐκεῖ.

Pro ἔσυρόν τινας ἀδελφοὺς, habent ἔσυρον τοὺς ἐκεῖ ἀδελφοὺς καὶ ἤγαγον, iterum soli.

11. Pro δὲ in initio versus satis mutata sententia habent γάρ. Nempe hic ex nostra lectione nostra exsistit sensus: nobilitate Beroeensium Judaeorum ductos apostolos in synagogam illorum ingressos esse.

13. Recte Millius docuit, post σαλεύοντες Syrum addere, καὶ ταράσσοντες, in quo multa habet, sed latinae fere familiae, suffragia: omisit tamen dignissimam notatu lectionem, sed quae Wetstenium non fugit. Nempe Syrus & Arabs praemittunt;

non

non cessarunt, adeoque pro σαλεύοντες legerunt, οὐ διελίμπανον σαλεύοντες, cum solo Cantabrigiensi.

Καὶ ante ἐν τῇ βεροίᾳ omittunt.

14. εὐθέως omittunt cum solo Cantabr.

ὡς ante ἐπὶ τὴν θάλασσαν, nonnihil mutata sententia omittunt cum Cantabrig. Corsendoncensi & Basiliensi B. X. 20. qui latinizans Wetstenio videtur. Utramque lectionem, a Millio neglectam, indicavit Wetstenius.

15. Post ἐξήεσαν soli addunt, ἀπ' αὐτοῦ.

16. Pro αὐτοὺς post ἐκδεχομένου, valde adfecta sententia, cum solo Cantabrigiensi Syrus legit αὐτοῦ, idque cum παύλου construxit: vertit enim: HIC *vero Paulus cum exspectaret Athenis*. Concinit Arabs, nisi quod negligentius interpretatus, Paulum, non *hunc* Paulum dixit.

18 Sine alio suffragio omittunt λέγειν & δοκεῖ, atque post ἀνάστασιν addunt, αὐτοῦ.

20. Post ξενίζοντα supplent ῥήματα, cum Cantabr. & Laud. 3.

Pro εἰσφέρεις legisse videntur σπείρεις, cognato utriusque verbi sono, verterunt enim: *verba peregrina seminas in auditum nostrum*. Phrasis concinna, & superioribus respondens, ubi Paulum σπερμολόγον dixerant Athenienses (*): nec tamen hoc eo valet, ut lectionem unius versionis genuinam habeam, atque adeo cum vulgata tot codicum lectione contendendam existimem.

Omittunt θέλοι, paraphrastica libertate? an quod Syrus non legit?

22. Soli omittunt ἐν μέσῳ.

23. Pro διερχόμενος habent περιερχόμενος, quam lectionem & Clementi Alexandrino tribui a Millio video.

Q 2 25.

(*) Vide & Italam Syramque versionem Marc. IV, 14.

25. αὐτὸς διδοὺς vertunt nostri, *propterea quod dat*. Paraphrasticum hoc esse possit, quemadmodum & vulgata latina vim participii resolvens exhibet: *cum ipse det*. Adscribendum tamen duxi, quia Cantabrigiensis graeca ex latinis ita correxit, ὅτι οὗτος δοὺς.

κατὰ πάντα, seu ut alii habent, καὶ τὰ πάντα, nostri in fine versus omittunt. Non fugit hoc Wetstenii diligentiam.

27. Ante εὕροιεν addunt nostri soli, *ex creaturis ejus*, quod credo ex Rom. I, 20. huc translatum in codice graeco fuisse, ex quo Syrus interpretatus est. In codice inquam graeco! Syriaca enim versio aliter interpretata est verba epistolae ad Romanos.

28. Pro εἰρήκασι *dixerunt*, solus omnino Syrus habet, *dixit*, sed quem manifesti lapsus librariorum Arabs dissentiens arguit. Facile unica litera Vau perire incuria potuit, qua pluralem numerum a singulari distinguunt Syri.

30. In initio versus pro οὖν soli habent γάρ.

Τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ] Cum hic pro dandi casu quartum habeant latinizantes, Alexandrinus, Laudanus 3, aliique, ita quidem, παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις, πάντας - - μετανοεῖν, Cantabrigiensisque habeat, ἵνα πάντες, ad vulgatam latinam omnes refecti, quae vertit, *annuntiat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant*: Syrus cum Arabe utramque lectionem & graecorum codicum & latinizantium expressit: *praecipit omnibus hominibus, ut omnes homines ubivis revertantur*. Manifestum corruptionis indicium.

XVIII, 1. Pro χωρισθεὶς habent nostri, *cum egressus esset*, cum unius Cantabrigiensis lectione, ἀναχωρήσας conspirantes.

3. Καὶ in initio versus omittunt.

5. 6. De singulari lectione Syri satis §. I. egi. Omittit particulam δὲ post ἀντιτασσομένων: pro αὐτῶν ponit ἰουδαίων: totum

tum comma sextum ad versum praecedentem refert, mirifice mutata sententia. Concinit Syro Arabs, nisi quod habet verba a Syro omissa, *τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν.*

8. Post *ἐπίστευον* addunt ambo, *τῷ Θεῷ*, cum solo Cantabr. sed quem Wetstenius iterum omisit.

10. Pro *ἐπιθήσεταί*, *invadet te*; nostri habent, *poterit*, ut si esset in graeco *δυνήσεται.*

Pro *διότι* habent *καί.*

12. *οἱ Ἰουδαῖοι* omittit Syrus, sed habet Arabs.

14. Ante *πονηρὸν* addunt iterum *ἤ.*

15. Post *ὄψεσθε αὐτοὶ* addunt, *ἐν ὑμῖν*, verumtamen *inter vos.*

16. Post *βήματος* addunt *αὐτοῦ.*

19. Omittunt (observante Wetstenio) *κἀκείνους κατέλιπεν αὐτοῦ*, itemque v. 21. *ἀλλ' ἀπετάξατο αὐτοῖς*: at verba in v. 19. omissa quodammodo supplent in fine versus 21. addentes, *& reliquit Aquilam & Priscillam Ephesi.* In editionibus N. T. Syriaci haec verba ad versum 22. male relata sunt, quod moneo, ne quis frustra quaerat.

27. *Προτρεψάμενοι* solus Arabs, etiam contra Syrum, vertit, *gavisi sunt*, ut legisse videatur, *προτερψάμενοι*, *antea delectati*, seu *praecepto gaudio.*

XIX, 1. Omittunt nostri *ἐγένετο δὲ*, in quo, non autem in magna lacinia graecis addita, conspirant cum codice Cantabrigiensi & margine versionis Philoxenianae. Nisi fallor, librarii Syri, quibus N. T. Syriacum debemus, ex utraque lectione, & antiqua textus & recentiore marginis, illud omiserunt, quod deesse in altera videbant, suspectumque ideo habebant.

2. *ἅγιον*, quod recte monente Millio omittit Syrus, Arabs habet.

 6. Pro

6. Pro τὰς χεῖρας uterque noster, cum solo Cantabrigiensi (*) habet, χεῖρα transposito etiam nomine Pauli, & post μετὰ scripto. Ita in minutissimis cum codice omnium maxime latinizante congruit Syrus.

8. Post εἰσελθὼν δὲ addunt ὁ Παῦλος, cum Cantabrigiensi, Baroccianoque qui tertius dicitur, ac cum versione Aethiopica. Docuit hoc Wetstenius.

Soli post μῆνας τρεῖς omittunt, διαλεγόμενος.

9. Pro ὡς δέ τινες Syrus, sed ab Arabe destitutus, habet, τινὲς αὐτῶν. Alium cum Cantabrigiensi consensum in hoc ipso versu indicavit Millius; cui concinit Arabs, nempe quod τότε & ὁ Παῦλος ante & post ἀποστὰς addit.

12. ἀπὸ τοῦ χρωτὸς αὐτοῦ exprimunt soli nostri, DE VESTIBUS QUAE ERANT in corpore ejus.

Pro σιμικίνθια, habent nostri *lacinias*, seu pannos obsoletos: Syrus quidem [illegible] a [illegible] *farcire*, & Arabs خرق a verbo, quod *lacerare* significat. Nec tamen liquet, aliudne legerint, an audacter ex semicinctiis, quibus sudores absterguntur, lacinias vestium obsoletas fecerint, an laciniae Syris idem significent quod graecis σιμικίνθια. Indicandam tamen hanc sive lectionem sive interpretationem eo magis duxi, quod videtur favere reliquiarum, quas dicunt, admiratoribus cultoribusque.

Pro πνεύματα πονηρὰ uterque, unico vocabulo שד interpretatus, legisse videtur δαιμόνια. Hae lectiones omnes singulares sunt, ne ullius quidem codicis confirmatae suffragio.

13.

(*) Lectionem codicis Cantabrigiensis cito ex Wetstenio, quod facere censendus sum, quoties hunc aliumve codicem a Millio neglectum pro lectione Syri affero.

13. Pro τινὲς ἀπὸ τῶν περιερχομένων ἰουδαίων uterque habet, οἱ περιερχόμενοι ἰουδαῖοι: pro ὀνομάζειν, ὁρκίζειν: & pro τὰ πνεύματα τὰ πονηρὰ *spiritus immundos*, ac si legisset interpres ἀκάθαρτα.

14. Pro τινὲς Syrus legit τινὸς, cum Laudano 3. & novi Collegio illo, qui primus Millio dicitur: nam & nihil habet, quod τινὲς exprimat, & scribit: *filii viri* UNIUS *Iudaei*, qua paraphrasi cum alibi eandem voculam exprimat, apparet, eum τινὸς ad patrem, Scevam, retulisse. Sequitur eum Arabs, licet pro linguae ingenio UNIUS omiserit.

17. In fine versus soli addunt, χριστοῦ, observante Wetstenio.

18. Et falsum est, quod tradit Millius, Syrum pro πράξεις habere ἁμαρτίας, neque melius Wetstenius omnem hanc lectionis varietatem omisit. Utrumque enim vocabulum expressit editio Syriaca, & vero mutato etiam ordine graecorum verborum, ac si lectum esset: ἀναγγέλλοντες τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν καὶ ὁμολογούμενοι τὰς πράξεις αὐτῶν. Duplicem ergo lectionem conjunxit, sive Syrus interpres, sive potius librarius idemque interpolator, alteram pure graecam, ὁμολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν, alteram latinizantem, quae ἁμαρτίας exhibet. Nempe ita legitur in unico codice Basiliensi β. X. 20. (*) quem latinizare

(*) Wetstenio hoc credo. Apud Millium legitur Barb. 1. quod a Wetstenio neglectum suspectum habebo donec potiora rescivero. Quis sit Barberinus primus, dubitavi in introductione in tabulas N. T. p. 78. 79. jam tamen lecto BLANCHINI *evangeliario versionis Italae* T. I. Vol. II. p. 491. satis probabile habeo, esse eundem, qui κατ᾽ ἐξοχὴν Vaticanus dicitur: in quo ipso si nostra lectio reperta est, non minus latinismi suspecta erit, cum & hic codex manifeste latinizet.

nitare intelligo ex Wetstenianis prolegomenis tomi II. p. 11. De Arabe noli dubitare, Syro ad verbum concinit.

20. Monuit quidem Millius de lectione Syri soli Cantabrigiensi concinente; nec tamen nisi Cantabrigiensis lectionem expressit, a qua cum Syriaca paullum recedat, etiam hanc curatius describendam duximus: καὶ οὕτω κατὰ κράτος ἴσχυσε καὶ ἴσχυεν ἡ πίστις τοῦ Θεοῦ. Nempe Cantabrigiensis hic tanquam medius est inter graeca exempla & Syriaca, utramque lectionem exprimens, & eam, quam exempla graeca habent, ὁ λόγος τοῦ Κυρίου, & quam Syrus, ἡ πίστις τοῦ Θεοῦ. Arabs omnino cum Syro facit. Wetstenius & hic Millio diligentior fuit, in lectione Syri excerpenda.

21. Falsum est, quod Syro tribuit Millius, recte a Wetstenio omissum, eum legisse, διελθεῖν - - καὶ πορεύεσθαι, pro διελθὼν - - πορεύεσθαι. Solet Syrus participia resolvere, quod non alius lectionis est indicium, sed ex ingenio linguae fit. Hic autem ne in infinitivum quidem, sed in futurum resolvit, ita interpretatus: *proposuit sibi, ut peragraret omnem Macedoniam & Achajam, & iret - -*. Hausit sua Millius, quod nec negat, ex male fidis latinis interpretationibus.

Post μακεδονίαν Syrus addit πᾶσαν, sed sine Arabe.

23. Post περὶ τῆς ὁδοῦ, addit Syrus cum Arabe τοῦ Θεοῦ, in quo proxime absunt a vulg. latina, quae addit, *domini*. Monuit hoc Wetstenius, docens quoque, in versione Philoxeniana τοῦ Θεοῦ legi, sed cum asterisco.

24. ἦν, quod solus addit Cantabrigiensis, & nostri habent.

25. Indicavit Millius particulam modo ejus lectionis, quam Syrus expressit, Cantabrigiensi simillimam. Graeca sunt οὓς συναθροί-

ἀθροίσας, καὶ τοὺς περὶ τοιαῦτα ἐργάτας, εἶπεν· ἄνδρες ἐπίστασθε &c. pro quibus Cantabrigiensis habet: οὗτος συναθροίσας τοὺς περὶ τοιαῦτα τεχνίτας, ἔφη πρὸς αὐτούς· ἄνδρες συντεχνῖται ἐπίστασθε. His concinere dicit Millius Syrum, nisi quod addat πάντες, & omittat συντεχνῖται. Atqui graeca ex Syro reddita haec erunt: οὓς συναθροίσας ὄντας, τοὺς τεχνίτας (vel si mavis συντεχν.) πάντας, καὶ τοὺς συνεργάτας αὐτῶν, εἶπε πρὸς αὐτούς· ἄνδρες ἐπίστασθε: in quibus Arabs Syrum pressis vestigiis sequitur. Manifestum est, Syrum utramque habere lectionem, graecam vulgatam, ac latinizantem, easque tanquam conflasse ut unica fierent, & praeterea aliquas voces addidisse, quae neque in graecis neque in Cantabrigiensi leguntur, ut πάντας, & συν ante ἐργάτας, ac post illam vocem, αὐτῶν: quae forte in aliis codicibus latinizantibus, Cantabrigiensi etiam corruptioribus, legebantur.

Unum ex apparatu Wetsteniano enotasse liceat: versionem Syriacam recentiorem magis etiam cum Cantabrigiensi facere, ac legere, ἄνδρες συντεχνῖται. Vereor, ne ex hac reliqua Cantibrigiensis lectionis similia in antiquam manaverint.

26. Post χειρῶν (observante & Wetstenio) addunt ἀνθρώπων, cum duobus codicibus, versionibusque Coptica & Aethiopica.

27. κινδυνεύει ἡμῖν non verterunt nostri: negligentia? an quod Syrus non legit?

Pro καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς, vertunt, *atque etiam ipsa Dea spernetur*, post αὐτῆς addentes, τῆς θεᾶς, & neglecto vocabulo μεγαλειότητος, quod & Cantabrigiensis omisit, si Millio tuto creditur, (nihil enim de hac omissione in Wetstenii

R lectio-

ectionibus inveni.) Liberiusne interpretatus Syrus occasionem dedit, in quibusdam codicibus latinizantibus, rhapsodiis illis lectionum, omittendi, quae non ad verbum in Syro legebantur?

28. Ad *ἀκούσαντες δὲ* addunt *ταῦτα,* cum solo Cantabr.

29. Pro *ἐπλήσθη συγχύσεως* habet Syrus, *perturbata est,* (unico verbo), quod minus recte intelligens Arabs vertit: *timuit.* Fortasse non ad varietatem lectionis, sed ad interpretandi licentiam hoc referendum.

30. Pro *οὐκ εἴων* habent cum solo Cantabrigiensi *ἐκώλυον.*

31. Soli omittunt *τινές.*

33. Hunc versum ita vertit Syrus, ac si graece legisset: *ὁ δὲ ὄχλος τῶν Ἰουδαίων τῶν ὄντων ἐκεῖ προεβίβασαν ἐξ αὐτῶν Ἰουδαῖον, Ἀλέξανδρον ὀνόματι. Ὁ δὲ σταθεὶς κατασείσας τὴν χεῖρα κ. τ. λ.* Ad verbum haec habet Arabs, quae quantum a graecis vulgatis differant sui quemque oculi docebunt.

35. Pro *τὸν ὄχλον* soli habent, *αὐτούς.*

Pro *καὶ τοῦ Διοπετοῦς* solus Syrus habet in accusandi casu, ut non a *νεωκόρον* pendeat, sed a *γινώσκει*: *quis enim est hominum, qui non noverit urbem Ephesiorum, quod sit sacerdos Dianae magnae, & imaginem ejus quae de caelo descendit?* Arabs etiam, quamvis alia sententia & constructione *τὸ διοπετὲς* in accusandi casu vertit: *quis ex hominibus non novit urbem Ephesiorum, quod illa colet* (seu sacram servet) *Dianae magnae* (in dandi casu Dianae magnae nomen accipiendum) *imaginem ejus, quae de caelo descendit?* Ante *τὸ διοπετὲς* non legisse videtur *καὶ*, interpreteturque hunc accusandi casum: *quod attinet ad imaginem ex caelo lapsam.* Utraque

que lectio prorsus singularis: inque tanto dissensu, manifestum tamen est, Arabicam versionem hic ex Syriaca fluxisse, cui non solum in parte lectionis, sed & in paraphrasi nominis διοπετὲς concinit. Nempe suspicor, Vau ante ܠܕܠܡܐ olim in Syriaca versione non magis quam nunc in Arabica lectum fuisse, exque Philoxeniana demum versione in simplicem manasse. Quod si ita legamus Syriaca, vertenda erunt: *quod sit sacerdos Dianae magnae pro imagine ejus quae de caelo delapsa est.*

38. Post Demetrii nomen, recte observante Wetstenio, cum solo Cantabrigiensi addunt, οὗτος.

Prorsus alia a nostris graecis in fine versus Syrus cum sequaci Arabe habet. Cum enim graeca exempla omnia hucusque excussa habeant: ἀγοραῖοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατόι (numero plurali) ἐισιν· ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις: soli nostri verterunt: *ecce proconsul in civitate est; artifices illi sunt. Accedant & litigent unus cum altero!* Legit ergo Syrus: ἰδοῦ ἀνθύπατός ἐστιν ἐν τῇ πόλει, τεχνῖται δὲ ἀυτόι· προσερχέσθωσαν ϗ ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις.

40. περὶ τῆς σήμερον loco suo movet Syrus, habetque in fine versus: at justo loco interpretatur Arabs. Porro, sed dissentiente iterum Arabe, cum illis facit qui pro οὗ legerunt ὀυ, a Wetstenio etiam excitatus. Tandem in fine versus συστροφῆς ταύτης reddit, *congregationis;* additque, *hujus diei, dum congregati sumus frustra, & tumultuati sine praetextu:* & in hoc a suo diversus Arabe. Crediderim, in aliquo antiquae Italae codice eandem lectionem inventum iri, si excutiantur diligentius.

XX, 4. Post Timothei nomen soli addunt, *Lystrensis.*

9. Post θυρίδος addunt, *ἀκούων*: omittunt autem κατενεχθείς. Utrumque soli.

11. ἐφ' ἱκανὸν omittunt soli.

In fine versus addunt: *ut terra iter faceremus*, quod ex versu 13 translatum videtur, ab interprete? an a scholiasta.

13. Pro προελθόντες in initio versus cum solo Cantabrigiensi habent κατελθόντες, *descendentes*. Wetstenii diligentiam hoc non fugit.

Verum quidem est, quod docet Millius, in Syro pro Ἄσσον legi *Thassum*: nec tamen antiquam hanc lectionem puto, quia *Assum* habet Arabs. Atque etiam hoc tenendum, pro εἰς τὴν Ἄσσον in Syro atque Arabe haberi, *prope Assum*, (vel *Thassum*) duplici nisi fallor ejusdem vocis interpretatione in Syriacis exemplis obvia in unam conflata. Nempe poterat εἰς ἆσσον (neglecto articulo) verti, *ad locum propiorem*, atque sic aut interpres, aut scholiastes vertisse videtur: *profecti sumus propius*. Alia autem explicatio nomen urbis exprimebat: utramque librarii aeterna pace confuderunt.

16. Nimis argutus Millius, qui viderit, Syrum pro ἔκρινε legisse, κεκρίκει. Vertit ille: *decisum erat Paulo*: quod neutri lectioni favet. Plusquamperfectum enim Syris non est ܦܣܝܩܐ ܗܘܐ ܠܗ, ut hic scribitur, sed ܦܣܩ ܗܘܐ. Recte ergo Wetstenius Syrum hic omisit.

Non

Non minus falsum, quod cum Millio tradit Wetstenius, pro ἦν Syrum legisse εἴη. Ne potest quidem hoc ab illo in lingua Syriaca, quae modos non habet interpretando distingui.

At docendum fuisset, pro ἐν τῇ ἀσίᾳ Syrum habere, *ibi.* Asiae tamen nomen Arabs expressit.

19. Pro τῷ Κυρίῳ habent τῷ Θεῷ cum Aethiope: & pro πολλῆς soli vertunt πάσης. Illud indicavit Wetstenius.

20. ὑμῖν, quod Millio recte monente addit Syrus, Arabs ignorat. Recens assumentum.

23. Soli omnino pro με in fine versus habent σε.

24. Falsum est, quod habet Millius, Syrum non exprimere, οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι. Habet hoc, omisitque potius id quod sequitur, οὐδὲ ἔχω - - - τιμίαν ἐμαυτῷ. Sic enim una cum Arabe vertit: *sed mihi vita mea non reputata est quidquam.* Aliquid hujus lectionis observavit Wetstenius: ex quo & disco, codicem antiquissimum, cui Ephremi nomen indidit, pagina 27 prolegomenorum Tomi I descriptum, quodammodo concinere. Nam & hunc omittere tradit, οὐδὲ ἔχω: nescio an & reliqua.

25. ἰδοὺ omittunt, observante Wetstenio. Sex in hoc codicibus, quorum aliqui aperte latinizant, & Lucifero Calaritano consentiunt.

26. διὸ abruptius omittit Syrus, (docente & hoc Wetstenio) habet tamen Arabs. Cum ex Wetstenio discam, voculam haberi in versione Philoxeniana suspicor eam ex illa in quosdam codices versionis simplicis, exque his in Arabicam versionem manasse.

28. Pro Θεοῦ, in loco satis digno qui curate describeretur, habent Syrus & Arabs Χριστοῦ. Negare hoc allaborat Millius, Syrum his accedere putans, qui Κυρίου legerint, idque liberius interpretatum esse. Sed quantumvis sibi nonnunquam licentiae sumat Syrus, haec tamen nomina, Κύριος, Χριστὸς, caute & proprie reddere solet qualia invenerat. Certe non video, cur qui alibi talia ad varias lectiones refert hic putet Syrum liberius interpretatum, vetetque pro varia lectione haberi. Mira quidem argumentatione usus inde sententiam suam probat, quod Syrus probum codicem graecum nactus sit & cum *optimis* concinentem, ut appareat ex versionis filo, unde & hoc loco legisse videatur cum aliis *compluribus*, Κυρίου. Miram, inquam, argumentationem! magisque mirum, quod Wetstenius scribere potuerit, recte ita judicatum esse. Millio quidem nihil liquere poterat de codice graeco Syri interpretis, probus an malus fuerit; nihil certe ex versionis filo, quam ipse non intelligebat, ejusque lectionum ne dimidiam quidem partem excerpserat. De quacunque versione ex filo ejus judicaturum oportet, aliquam certe ejus partem ita perlegisse diligenter, ut nullam si fieri queat lectionem praetermiserit neglexeritque: quod in Syriaca nec fecisse Millium, nec facere potuisse, vel hic paragraphus docet, ex quo intelligetur, maximam partem earum lectionum quae Syro propriae ac suae sunt a Viro caetera doctissimo, linguae autem Syriacae qua una in hoc negotio maxime opus erat imperito, omissas esse. Permultis sane locis versio Syriaca non a vulgatis modo lectionibus graecis, sed ab omnibus recedit codicibus versionibusque, quod sive laudis sit sive vitii efficit tamen, ut nemini incredibile videri debeat, etiam hoc loco ejus lectionem singularem esse, neque cum ullo alio codice conspirare. Deinde etiam hoc in Millio displicet, quod

quod sumit, quae lectio proba sit atque optima, eamque codici Graeco Syriaci interpretis obtrudit: cum inverso ordine ex codicibus de lectione judicandum fuisset, non ex praejudicio quantumvis etiam vero de lectionis alicujus sinceritate, statuendum, quid quisque codex legerit. Sit enim codex quamvis probus, tamen interdum bonus, ut Homerus, sic descriptor dormitasse deprehendetur. Tandem Millius, qui primum ex filo versionis Syriacae intellexerat, codicem graecum ex quo facta sit *cum optimis* fere consensisse, efficit inde, ut hic *cum compluribus* consenserit: quasi vero *optimi* codices & *plurimi* iidem sint, nec saepe, ac justo etiam saepius, Millius ipse unius codicis aut paucorum lectiones singulares pro veris haberi jusserit.

Haec eo fine disputo, ut ostendam, Syrum Χριστοῦ legisse, cui lectioni ex Patribus pauca addi solent suffragia, non tanquam censeam recte & bene ita in codice ejus scriptum fuisse. Damno enim lectionem, quod & a codicibus manuscriptis versionibusque reliquis omnibus recedit, & nimis sive scholiasten sapit sive audacem librarium, cui lectio graeca Θεοῦ fortasse displicebat, indignato, Deo sanguinem tribui. Caeterum Arabs Syro concinens facit, ut suspecta nobis versio Syriaca interpolationis recentioris esse non debeat.

30. Pro ἀποσπᾶν cum solo Cantabrigiensi nostri habent ἀποστρέφειν.

32. Vereor, ne justo acutius viderit Millius, Syrum his addens, qui pro ἐποικοδομῆσαι legerunt οἰκοδομῆσαι. Fateor, illum vim compositionis non expressisse, sed neque id sine paraphrasi longiore facere poterat. Quid legerit, non liquet.

33.

33. οὐδενὸς solus omittit Syrus. Habere videtur Arabs, qui vertit: *argentum, & aurum, & vestem, non concupivi quidquam de eo*: ac si in graeco esset, οὐδενὸς αὐτῶν.

35. Soli nostri omittunt ὅτι (quartam vocem versus) interpretati: *omnia demonstravi vobis. Ita oportet laborare.*

38 δὲ, quod vulgata exempla graca sub finem versus habent post προέπεμπον, Syrus mutata constructione habet in initio post ὀδυνώμενοι. Arabs, illud negligens, neutrarum partium est.

XXI, 1. Soli nostri omittunt, ὡς ἐγένετο ἀναχθῆναι ἡμᾶς.

2. Post εὑρόντες addunt ἐκεῖ.

3. Post ἐπλέομεν εἰς τὴν συρίαν, καὶ - - - addunt quidem nostri, ἐκεῖθεν, *inde*, ac si ex Syria Tyrum navigassent; sed adeo manifesto errore geographico, nulloque sensu, ut meram interpolationem esse arbitrer.

4. αὐτοῦ, *ibi*, transponunt nostri, faciuntque vocem tertiam versus. Hactenus consentit codex Sinaiticus, qui a Covello possessore dici solet, quod suo loco vocem omisit, teste Wetstenio.

Post ἔλεγον soli addunt καθ' ἡμέραν.

5. ὅτε δὲ ἐγένετο ἡμᾶς ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας, ita vertit Syrus, ac si legisset, μετὰ δὲ ταύτας τὰς ἡμέρας. Vult quidem Wetstenius, eum vertisse, ut habet Cantabrigiesis, *sequenti autem die*: quod falsum esse cuivis Syriaca ܒܬܪ ܗܠܝܢ ܕܝܘܡܝܢ ܫܠܡܘ ܠܢ legenti atque intelligenti liquebit. Solus cum Syro Arabs facit.

Pro προσηυξάμεθα in fine versus habent nostri verbum tertiae personae: *precati sunt*: forte quod Syrus eandem lectionem ex-

expressit, quam codex Alexandrinus cum aliis, latinizantibus fere, habet, προσευξάμενοι. Participia enim graecorum verbo indicativi modi vertere solet.

6. Ἀσπασάμενοι] Valde hic deceptus est Millius a versione latina Novi Testamenti Syriaci. Haec enim cum haberet, *deosculati sumus*, ipsum Syrum legisse scribit, ἐπησπασάμεθα; Syrus vero simpliciter vertit, ܫܐܠܢ, *osculati sumus*: ac ne potuit quidem id reddere, quod versio latina habet, cum lingua Syriaca compositionibus verborum careat. Non debent ergo critici, Millii exemplo, versioni latinae fidere, quae perquam negligenter confecta, hanc unam forte habet excusationem, usum criticum versionis Syriacae ejus interpretem latinum, qui biblia polyglotta commaculavit, non spectasse.

7. Pro τὸν πλοῦν διανύσαντες nostri habent, *profecti sumus*. Non liquet, ad variasne lectiones an ad interpretis negligentiam referri debeat.

Pro τοὺς ἀδελφοὺς soli habent, τοὺς ἐκεῖ ἀδελφούς.

11. τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας] His, qui inverso ordine habent, τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας, permultis codicibus & interpretibus, ex quibus non pauci latinizant, addendus etiam est Syrus, sed ab Arabe hic relictus.

Longe autem gravius dissidium Syri interpretis a reliquis omnibus circa has ipsas voces commemorandum est, in quo ei cum Arabe convenit. Nempe pro unico pronomine, αὐτοῦ, legit duo, αὐτοῦ & αὐτοῦ. In vulgatis quippe exemplis Agabus cingulo Pauli ligasse dicitur αὐτοῦ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, *suas*

 manus

manus pedesque: ubi quaeri possit, quomodo suas ipse manus ligaverit? At Syrus vertit, *& ligavit pedes suos* (proprie, *animae suae*) *& manus ejus*, ac si legisset, ἀυτοῦ τοὺς πόδας καὶ ἀυτοῦ τὰς χεῖρας. Arabs illud Syri, SUOS & EJUS expressit, ita tamen, ut vocabulis pedum manuumque transpositis difficilior etiam consveta lectione inde exsistat sententia: *ligavit manus suas, & pedes ejus*. In hoc cum Arabs Syro concinat, quod ei peculiare ac proprium est, ex Syro hunc versum sumsisse censendus est: quod autem nomina alio ordine habet quam Syrus, arguit Arabicam versionem nostram ex alia Arabica versione, sive immediata (ut eas vocant, quae ex graeco exemplo factae sunt) sive Copticae filia interpolatam esse. Nimis enim absurda est lectio, quam ut ab interprete non somniante exprimi potuerit, quae dicit, Agabum sibi manus, alii pedes ligasse. Inquiri autem meretur, verane & genuina sit lectio N. T. quam solus Syrus expressit, an librario debeatur, cui impossibile videbatur, aliquem ipsi sibi manus vincire, quod alias manus, quibus id faceret, praeter suas non haberet. Quod si haec valeat sententia, ne sic quidem frustra lectionem Syri observavimus: confirmabit enim veri simillimam de transpositione nominum conjecturam Wetstenii, qui, *forte quia putarunt*, inquit, *eum qui sibi prius manus vinxisset, non posse deinde ligare pedes, manibus vinctis*. Eadem utriusque corruptionis origo.

Quod autem idem Wetstenius scribit, pro ἀυτοῦ Syrum legisse ἑαυτοῦ, id me non intelligere fateor. Sive enim hoc legeret, sive illud, *pedes* SUOS interpretari debebat.

16. μνάσωνι] Hoc nomen nostri in accusandi casu legerunt, ut non Mnasoni adducti comites Pauli sint, sed ad hos Mnason, qui

qui eos hospitio exciperet. Sic enim vertunt, vocibus valde transpositis: *ducentes secum fratrem ex discipulis priscis, cujus nomen erat Mnason, qui Cyprius erat, ut exciperet nos domi suae.*

18. Pro ὁ παῦλος σὺν ἡμῖν nostri habent, ἡμεῖς σὺν τῷ παύλῳ.

19. Pro καὶ ἀσπασάμενος αὐτοὺς nostri habent καὶ ἀσπασάμενοι αὐτούς. Constructio turbare possit linguae graecae minus peritum, ut vel soloecismi metu mutari a librariis in consvetam lectionem potuerit: est tamen proba ac graeca. Ἀσπασάμενοι αὐτοὺς ἐξηγεῖτο ὁ παῦλος, verti debet, *postquam salutassemus illos, narravit Paulus*: de qua constructione lege auctores a B. WOLFIO ad 2 Cor. I, 7. excitatos. Nec tamen audeo, unius Syri suffragio lectionem sua sponte veri similem (internam verisimilitudinem barbare quidem, sed tamen critici vocare solent) pro vera ac certa habere. Facit pro ea, quod haud videtur librarius pro ἀσπασάμενος scripturus fuisse ἀσπασάμενοι: ignarissimo quovis ac linguae graecae imperitissimo ex ἀσπασάμενοι soloecismi metu facturo ἀσπασάμενος.

Post ἐξηγεῖτο addunt ὁ παῦλος.

21. Post τοῖς ἔθεσι addunt soli, τοῦ νόμου.

22. Non solum δεῖ πλῆθος συνελθεῖν omittunt nostri, quod bene monet Millius, sed integra verba: τί οὖν ἐστι; πάντως δεῖ πλῆθος συνελθεῖν.

Pro ἀκούσονται γὰρ habent ἤκουσαν & mutato tempore, & omisso γαρ, ex quibus posterius facere editionem Complutensem Millius mihi auctor est: (certus an, incertus, ignoro. Ipse enim editionem non habeo, neque hanc lectionem in Wetstenianis inveni.)

23. τοῦτο in initio versus nostri soli omittunt.

In fine soli addunt, *ut purificentur.*

25. Praeter ea, quae Millius tradit, alio etiam ordine sub finem versus nostri legerunt, καὶ πορνείαν, καὶ πνικτὸν, καὶ τὸ αἷμα.

27. Pro ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, nostri habent, cum advenisset dies septimus, ut eandem lectionem exprimere videantur, quam Cantabrigiensis habet: συντελουμένης δὲ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας.

Pro συνέχεαν *confuderunt*, in nostris legitur, *traxerunt ad eum* populum. Non intelligo, quid legerit Syrus, nisi συνέσχον, *coëgerunt* populum, quod *Luciano* interpolatoris crimine a patribus notato Millius tribuit. Vide hujus prolegomena §. 333. & 728. Eandem lectionem invenisse etiam Wetstenium video in duobus codicibus, Westmonasteriensi quem ipse inspexit, & monachorum S. Basilii in urbe, cujus excerpta Blanchinius prodidit. Unde factum sit, ut cum Luciano heretico in hac lectione Syro conveniat, alii doctius quam mihi facere datum est dubitabunt. Nec quidem video, quo haereseos studio errorisque amore Lucianus pro συνέχεον legere potuerit συνέσχον: licetque vel ex hoc exemplo suspicari, patres in eo accusando justo fuisse ferventiores, sique ille aliter legeret in suis codicibus, quam in suis illi haberent, haeresin statim & corruptionem exclamasse, criticumque pro interpolatore habuisse. Quod si ille in suis exemplis συνέσχον legit, valde & Syrum confirmat, & ab illo confirmatur, laudique cedit Syriacae versioni, quod lectionem non improbabilem, nondum inclinato seculo secundo defensam, cum paucis codicibus tantum non sola servavit. Bene hoc nos & de

aliis

aliis ejus lectionibus singularibus, quarum suffragia antiqua ignoramus, sperare jubet.

28. Post κράζοντες cum solo Vindobonensi addunt, καὶ λέγοντες. Dictum hoc Wetstenio.

Soli post τοῦ λαοῦ addunt ἡμῶν, omittunt autem πάντας ante πανταχοῦ.

31. Pro ἱερουσαλὴμ soli habent ἡ πόλις.

32. στρατιώτας καὶ ἑκατοντάρχους transponunt nostri, στρατιώτας mutant in στρατηγοὺς, adduntque, multos: ita quidem: ἑκατοντάρχους καὶ στρατηγοὺς πολλούς. Aliquid: ex his observaverat Wetstenius, nempe pro στρατιώταις esse στρατηγούς: quod nescio an & sub finem versus factum sit. Pro eo enim nomine *militum* quod quintum a fine versus est, in Syriacis quidem editionibus legitur ܐܣܛܪܛܝܘܛܐ *milites*; at Arabs & hic usus est eodem, quo supra στρατηγοὺς reddiderat vocabulo شرفا quod *nobiliores* designat,

Pro κατέδραμεν habent in plurali ἔδραμον, verbum etiam simplex pro composito legentes. Pluralem numerum habet etiam codex Basileensis, qui Reuchlini fuit, a Wetstenio pag. 42. proleg. Tomi I. curatius descriptus.

39. Pro πολίτης *civis*, nostri habent, *in quo natus sum*, soli Cantabrigiensi in hoc similes, qui habet γεγεννημένος, a quo tamen & discedunt, quippe non cum illo omittunt οὐκ ἀσήμου πόλεως.

40. Pro τῷ λαῷ iterum cum uno Cantabrigiensi habent, πρὸς αὐτούς. Vidit hoc Wetstenius.

Soli omittunt πολλῆς ante σιγῆς.

XXII, 1. ἄνδρες, & μου ante τὴν πρὸς ὑμᾶς, omittit Syrus: ſed habet Arabs.

νῦν, quod Syrum omittere, Millius Wetſteniusque monuit, Arabs habet. Neque tamen negligenda ideo ejus vocis omisſio: video enim, eandem, Wetſtenio teſte, a tertio codice Covelli abeſſe, cum quo ſolo tribus jam aliis locis conſpirare Syrum vidimus.

3. μὲν omitti a Syro dicunt Millius Wetſteniusque, cum tamen omnino ab illo reddi non potuerit, linguae penuria.

6. Pro ἐγένετο περιαστράψαι habent noſtri, περιέστραψεν, quae lectio cum ſolis codicibus Cantabrigienſi, & Laudano 3, conſpirare quodammodo videtur. In Cantabrigienſi enim cum a prima manu omiſſum ſit, ἐγένετο, non illa manus videtur ſcripſiſſe, περιαστράψαι, ſed περιέστραψεν. Haec autem eſt Laudani codicis lectio, qui ideo nec videtur habere potuiſſe ἐγένετο. Nec tamen ita plene perſpicueque hi codices a Millio Wetſtenioque citantur, ut appareat, quomodo totum verſum legerint.

8. Poſt ἀπεκρίθην addere videntur, λέγων, reddunt enim, *reſpondi & dixi*: niſi hoc paraphraſticum potius ſit.

13. Καὶ ἐπιστὰς ſoli omittunt.

17. Iterum ſoli omittunt, ἐγένετο, quod cum toties negligat Syrus, neque tamen eadem vox defuiſſe ſemper videatur, pene incipio pro paraphraſtico interpretis idiomate habere: notare vero non deſinam, quia codices latinizantes nonnunquam concinere video, ex quo conſenſu quid effici poſſit infra videbimus.

18.

18. Καὶ omittunt soli, mutata etiam quodammodo sententia. Ἰδεῖν enim construunt cum ἐν ἐκστάσει: *& vidi illum in visione.*

20. Pro, τῇ ἀναιρέσει, habent, τῇ βουλῇ τῶν ἀναιρούντων αὐτὸν; atque pro ἀναιρούντων in fine versus substituunt, λιθαζόντων. Elegantiae studuisse librarius videri possit in secunda lectione, idque spectasse, ne eadem vox bis legeretur.

24. Οὕτως, tertiam a fine versus vocem, soli omittunt.

26. Ἀπήγγειλε omittunt.

29. Pro ἀνετάζειν legisse videntur, ut est in versu 25, μαστίζειν, reddunt enim, *flagellare*: quod ne quis paraphrastice positum arbitretur, monendum est, versu 24 Syrum ἀνετάζειν reddere, *interrogare*, idque adeo a μαστίζειν distinguere.

Ab hoc versu usque ad finem actuum hiat codex Cantabrigiensis, cujus cum nostra versione consensum tot exemplis intelleximus, ut, si nulla alia de re, de cognatione certe aliqua nostrae versionis illiusque codicis constare vel invito judici oporteat.

30. καταγαγὼν vertit Syrus ܢܣܒ, ut solet alias λαβὼν reddere: Arabs autem magis ad Graeca, *descendere fecit.*

XXIII, 2. Pro ἀρχιερεὺς soli habent ἱερεὺς, & pro αὐτοῦ, ipsius Pauli nomen. Potest tamen utrumque esse paraphrasticum, nam & alibi ἀρχιερέα (*summum sacerdotem*) simpliciter *sacerdotem* interpretatur: ut v. 4. 5. 14. Lege omnino S. Rev. *Io. Bened. Carpzovii sacras exercitationes ex Philone, ad Hebr.* IV, 14.

6. His, qui pro υἱὸς Φαρισαίου legunt, υἱὸς Φαρισαίων, (ubi filius Pharisaeorum erit, *discipulus* eorum) recte additus a Wetstenio est, omissus antea a Millio, Syrus. Addit quidem Wetstenius, contra codices scriptos Syriacae versionis ita legi in impressis: fatemurque, facilem erroris viam fuisse, cum pluralis

numo-

numerus Syrorum a singulari solo hic puncto diacritico distinguendus fuerit. Facit tamen pro editionibus Novi Testamenti Syriaci, contra scriptos illos codices, quos vidit Wetstenius, Arabs noster, qui etiam habet, *filius Pharisaeorum.* Est haec fere latinizantium codicum lectio.

9. Insigne hic additamentum habet Syrus cum Arabe, pro *μὴ θεομαχῶμεν*, reddens, *τί ἐστιν ἐν τούτῳ; quid est in hoc?* Monuerat hoc Millius: incautius autem neglexit Wetstenius, illis tantum addens Syrum, qui omiserunt, *μὴ θεομαχῶμεν.* Certum quidem est, quod & vidit Millius, haec verba vel gravissime hoc oppugnari argumento, quod in Syriaco exemplo non desint modo, sed & alia loco illorum apodosis adjecta sit, sive a librario graeco, sive ab interprete: cum tamen non certum exploratumque sit, apodosin eam paraphrasi interpretis deberi, non aequum erat, silentio eam a Wetstenio praetermitti. Ipsi autem quaestioni, spuriane sint an genuina verba, *μὴ θεομαχῶμεν*, haud nos immergimus: unum monentes, non justo eam omissionem argumento oppugnatam a B. Wolfio esse, scribente: *tota oratio manca sine his verbis futura erat, atque ita elliptica, qualem nullo exemplo probari posse, certissime mihi persuasum est.* Atqui similia vel ipse habet Romanae eloquentiae pater: Arabibus autem frequentissimum est hoc ellipsis genus, in Corano iterum iterumque recurrens. Graviter & eleganter apodosis, gestu ac vultus compositione & nutu significanda, subticetur, ubi infausti quid & inoptabilis rei continet, ut: *integrum videri synedrium cum Deo pugnare:* quod ubi facit aut orator aut disputator, suspicionem in animis relinquit audientium, rem supra omnem modum horrendam malique ominis illo silentio tegi. Possent etiam verba elliptica ita verti, ut Syrus reddidit: *quid autem? si omnino spiritus angelusve cum illo loquutus est?*

10.

10. Pro ἐκέλευσε habent ἀπέστειλε. Quod autem στράτευμα vertit Syrus *Romanos*, interpretis est, non alius lectionis, ut ex versu 23. 27. 31, disci potest.

Pro καταβὰν legerunt ἐλθόν.

11. Haud scio, an pro ἐπιστὰς legerit ὠφθεὶς; vertit certe cum Arabe, visus est.

His, qui παῦλε omittunt, latinae fere versionis sequacibus, addendus cum Arabe Syrus erat: idque in Syro recte fecit Wetstenius. Nomen tamen Pauli in dandi casu post αὐτῷ redundat in nostris versionibus.

16. παραγενόμενος omittunt.

23. δεξιολάβους] Dubitat Millius, itane cum reliquis omnibus legerit Syrus, an cum solo Alexandrino, δεξιοβόλους; caute ille ac bene, quod de versione sibi non lecta, pronuntiare nihil ausus est. Mihi tamen perquam est verisimile, hic, ut alibi saepius, cum Alexandrino facere Syrum, quippe qui vertit: *jaculantes dextra*. Neque tamen ignoro, etiam δεξιολάβους reddi *jaculatores* potuisse, si vim vocis, non etymon exprimas: hoc tamen cum exprimere voluisse Syrus videatur, alioqui non addituras, DEXTRA, sed *jaculatores* modo interpretaturus, comitem illum codici Alexandrino dare liceat. Arabs quidem, caussam non subodoratus, cur adderetur, DEXTRA, idque nomen redundare opinatus, quia verisimile non est, sinistra aliquem jaculaturum, simpliciter *jaculatores* posuit.

διακοσίους]. Addunt πορεύεσθαι. Forte hoc est interpretis, non lectionis.

25. *περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον*] Nescio utrum negligentius verterit Syrus, *in qua erat ita*, an aliter legerit, an interpolatus sit ex Vulgata latina, quae vertit: *continentem haec.* Suspectus est concentus.

29. *θανάτου ἢ δεσμῶν* inverso ordine exprimunt, *vinculis, aut morte.*

32. Multa in hoc versu aut lectionis diversitas, aut interpretis audacia. Pro, τῇ δὲ ἐπαύριον ἐάσαντες τοὺς ἱππεῖς πορεύεσθαι σὺν αὐτῷ, ὑπέστρεψαν εἰς τὴν παρεμβολὴν, habet Syrus: *& die altero equites dimiserunt pedites, socios suos, ut reverterentur ad castra*, ac si legisset, τῇ δὲ ἐπαύριον ἐάσαντες ΟΙ ἱππεῖς τοὺς σὺν αὐτοῖς πεζοὺς ὑποστρέφειν εἰς τὴν παρεμβολήν. Arabs sua sine dubio ex Syro habet, & tamen multum novae confusionis addidit, versum etiam nostrum cum sequente transponens, & aliquid omittens. Sic ille: *& vesperi adduxerunt eum Caesaream, & tradiderunt epistolam judici*, (sic solet procuratorem provinciae vocare) *postquam convertissent equites* ET *pedites ad castra, & constituissent Paulum ante illum.* Sensu haec carent. Nempe ex Syro vertisse videtur Arabs, *postquam equites convertissent*, seu redire jussissent, *pedites ad castra*: sed librarius aliquis male ET inter equites & pedites addens, perturbata denuo ita perturbavit, ut ne informatio quidem rei gestae supersit.

33. εἰσελθόντες] Soli nostri εἰσήγαγον.

XXIV, 3. Falsum est, quod suspicatur Millius pro *κατορθωμάτων* Syrum legisse διορθωμάτων, ideoque recte a Wetstenio omissum. Ne possunt quidem Syri, quibus nomina cum praepositionibus non coalescunt, utriusque vocabuli graeci diversitatem in sua lingua imitari.

Pro

Pro πάντη & μετὰ πάσης εὐχαριστίας Syrus mutata sententia habet, πάντες & τὴν χάριν σου, *nos omnes ubique percipimus gratiam tuam.* Utramque lectionem expressit Arabs, *nos omnes ubique gratiam habemus gratiae tuae,* ex alia, nisi fallor, Arabica versione interpolatus.

4. Pro ἐγκόπτω in plurali habent, *ne defatigemus.*

ἀκοῦσαί σε συντόμως τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ] uterque: *ut audias nostram humilitatem cum brevitate,* ac si legisset Syrus, ἀκοῦσαί σε τῆς ἐπιεικείας ἡμῶν συντόμως.

9. Pro συνέθεντο, *assensi sunt*, aliud verbum legit Syrus, qui vertit ܐܬܚܪܘ *litigarunt,* sive, ut Arabs ex Syro reddit, *acclamarunt.* Wetstenius putat, Syrum cum codicibus multis conspirare in συνεπέθεντο: ego malim, ἐπέθεντο, cujus verbi vis in invadendo est. Erunt ergo duae lectiones, συνέθεντο, quae in graecis exemplis vulgata est, & ἐπέθεντο, Syri, ex quibus tertia συνεπέθεντο conflata videri possit.

10. εὐθυμότερον] Male Millius, atque etiam Wetstenius, his Syrum addunt, qui εὐθύμως legerunt. Neutrarum est partium, neque potuit aliter, quam fecit, vertere, sive εὐθύμως legeret sive εὐθυμότερον.

12. Pro ἐν ταῖς συναγωγαῖς habent, ἐν τῇ συναγωγῇ.

13. In his, qui σοι addunt post δύνασαι, etiam nostri numerandi. Vidit Wetstenius.

14. Σοι post τοῦτο soli omittunt.

Pro κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, reddiderunt nostri, *secundum hanc doctrinam quam dicunt.* Solet autem graeco αἱρε-

σις respondere Syriacum ܡܠܦܢܘܬܐ *doctrina.* Sic ergo legisse censendus est Syrus: κατὰ τὴν αἵρεσιν ἣν λέγουσιν. Nullius hucusque codicis consensu confirmata lectio est, forte tamen aliqua ejus vestigia in Latina Vulgata supersunt, habente: *secundum sectam, quam dicunt haeresin.* Latinum oportet interpretem post κατὰ τὴν legisse, αἵρεσιν, alioqui non scripsisset, *sectam:* & tamen, nisi aliud quid accedat, absurda erit versio, *secta quam dicunt haeresin.* Nempe quam Latinam versionem antiquam dicimus, ex pluribus illam diversisque coiisse librariorum novimus audacia, quod hujus erat versionis codicisque in alius codicis exempla transferentium. Videtur ergo una earum versionum cum Syro habuisse, *secundum sectam, quam dicunt:* alia: *secundum viam dicunt sectam,* unde coaluit tandem absurda sententia: *secundum sectam, quam dicunt haeresin.* Caeterum brevitatis & concinnitatis majorem etiam laudem habere videtur Syri lectio, quam consveta graeca: sed id non sufficit, ad eam pro genuina habendam.

15. Versum hunc protasin decimi sexti faciens Syrus, καὶ vel δὲ in ejus initio legisse videtur, quod per Vau exprimit: contra, quod & monuit Wetstenius, in initio versus sequentis δὲ omittit, in quo Vulgatam, codicesque quinque, quorum tres sine dubio latinizant, consentientes habet.

18. Pro ἐν οἷς, habent, καὶ οὗτοι.

τινὲς (ΔΕ) ἀπὸ τῆς ἀσίας Ἰουδαῖοι] Sunt non pauci, qui post τινὲς addunt δὲ. His etiam Syrum addi vult Wetstenius. Non obnitor equidem, malim tamen arbitrium penes lectores esse. Sic ergo vertit: *nisi quod tumultuati sunt aliqui Judaei, qui venerunt ex Asia.* Manifestum est, praeter ea quae Wetstenius notavit,

vit, legisse illum ἐθορύβησαν. Viderint tamen lectores, haecne sit Syri lectio: εἰ μὴ τινὲς ἀπὸ τῆς Ἀσίας ἰουδαῖοι ἐθορύβησαν. Illud prorsus falsum est, quod habet Wetstenius, Syrum in secundo casu legisse, ἰουδαίων. Ex Syro omnia transtulit Arabs, nisi quod paraphrastice habet: *tumultuati sunt contra me.* Est haec Syri lectio notatu digna, sententiam mutans. Ipse enim seditionis accusatus, ejusdem jam criminis reos aget accusatores Paulus.

24. Omittunt παραγενόμενος: & pro μετεπέμψατο habent plurali numero μετεπέμψαντο. Utrumque soli.

26. Pro ἅμα δὲ καὶ nostri ponunt, *nam* (γάρ.)

XXV, 2. Pro τῇ ἐπαρχίᾳ habent, εἰς καισάρειαν: contra in fine versus omittunt, ἀπὸ καισαρείας. Utrumque soli.

3. Pro κατ' αὐτοῦ etiam Syrus habet παρ' αὐτοῦ, ut biblia Complutensia exhibent: reddit enim: *rogabant ipsum*; & redundantius Arabs: *rogabant eum & supplices fuerunt ad ipsum.* Vidit Wetstenius, aliasque praeterea auctoritates addidit, quarum prima sine dubio latinizat, ultima *codicum latinorum* nomine absolvitur.

5. Omittunt φησί.

6. Pro ἡμέρας πλείους ἢ δέκα, habent nostri, ἡμέρας ὀκτὼ ἢ δέκα. Male Millius, eumque incaute exscribens Wetstenius, aliam lectionem Syro tribuerunt, ἡμέρας πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα, cum vocis πλείους, seu, ut duplicato errore habet Millius, οὐ πλείους, vestigium in Syro nullum compareat.

7. Falsum est, ideoque recte a Wetstenio omissum, quod habet Millius, Syrum pro φέροντες legisse καταφέροντες. Decepit virum latina versio novi testamenti Syriaci in polyglottis, quae

habet, *adducebant*. Scire quidem, sive adeo discere a perito linguae Syriacae hoc unum debuisset, Syros non habere verba cum praepositione composita.

8. Pro ἥμαρτον habent nostri ἡμάρτεν, cum solo codice quarto Covelli, & Lucifero Calaritano.

10. Verum est, quod docet Millius, κάλλιον a Syro omitti, unde nec negligi debebat a Wetstenio, qui diligentior Millio videri voluit. Nos quidem, si neglexissemus, habituri eramus excusationem; dissentit enim hic a Syro Arabs. Sed ea excusatio nihil ad Wetstenium, Arabicis non utentem.

11. οὗτοι omittunt nostri, cum tribus codicibus.

δύναται omittit Syrus, sed habet Arabs.

13. Pro κατήντησαν, habent nostri κατῆλθον.

14. κλείρυς omittunt nostri.

18. Pro ἐπέφερον habent, *potuerunt afferre*.

23. Pro, ἀκροατήριον, habent, *domum judicii*. Legeruntne πραιτώριον?

24. Θεωρεῖτε τοῦτον περὶ οὗ] Nostri, περὶ τούτου τοῦ ἀνθρώπου ὃν θεωρεῖτε.

25. Aut falsum est, aut incertum, quod Millius, Wetsteniusque habent, Syrum pro, καταλαβόμενος, legisse, κατελαβόμην. Est hic mos Syri, ut ita resolvat participia, non alius lectionis indicium.

26. ἀσφαλές τι omittit Syrus. Monuit Wetstenius. Integra autem sententia, *de quo certi quid scribere Domino non habeo*, in Arabe desideratur.

προήγα-

προήγαγον] Noſtri ἐθέλησα προάγειν.

27. μοὶ δοκεῖ omittunt noſtri. Non habent, his vocibus deficientibus, graeca.

XXVI, 3. μάλιστα γνώστην ὄντα &c.] Quamvis haec in Syriaco N. T. verſa legantur: *maxime, quia ſcio, quod perſvaſus es, de omnibus quaeſtionibus & legibus Judaeorum*, non tamen pro certo habeo, Syrum aliter legiſſe, quam in textu graeco vulgato eſt. Recte autem fecit nihilominus Millius, quod Syri in variis lectionibus mentionem injecit. Sententia, quam nunc Syriace legimus, abſurda eſt, atque a Graeca veritate, utcunque legatur, aliena: nam neque γνώστης, de qua voce non dubitatur, is eſt, qui placita omnia Judaeorum credit, neque animum Paulo addere ad cauſſam dicendam potuiſſet, ſi omnes Judaeorum quaeſtiones & ſententias Agrippa's perſvaderi ſibi fuiſſet paſſus. Succurrunt quidem interpretes Latini, atque ܡܦܣ reddunt, *verſatus*, ſed nullo id faciunt hujus ſignificationis exemplo allato. Interpolatum hic aliquid eſſe oportet, mendique veſtigia verſio Arabica detegit. Haec enim, aeque redundans ut Syriaca, habet tamen, *qui ſcio, quod tu ſciens es*: unde apparet, Arabem Syriaca ita legiſſe: ܕܝܕܥ ܐܢܐ ܕܝܕܥ ܐܢܬ *quia ſcio, quod ſcis.* Quid? ſi preſſe ad graeca olim verterit Syrus: ܝܬܝܪܐܝܬ ܕܝܕܥ ܐܢܬ *maxime, quia ſcis?* Facilis inde tranſitus erat, ejusdem vocis repetitione, ad eam lectionem, quam Arabs expreſſit: atque ab hac ad hodiernam, poſito pro altero ܝܕܥ, quod moleſtum auditu & incomtum videri poterat, ܡܦܣ *perſvaſus*.

Video ſex codices cum Syro conſpirare ſententia, verbis, eorumque ſerie, inter ſe diſſidere. Tres enim codices, quos & alias

alias in lectionibus singularibus cum Syro facere, ac tanquam de ejus familia esse, uno alteroque exemplo infra docebo, Coislinia-ni, vicesimus quintus, & ducentesimus secundus, collegiique no-vi codex, habent: μάλιστα ἐπιστάμενος, γνώστην ὄντα σε πάν-των: Stephani ε, & Genevensis a Wetstenio excerptus, μάλιστα γνώστην ὄντα σε εἰδώς: Stephani ι, μάλιστα γνώστην ὄντα σε ἐπιστάμενος: Leicestrensis, quem Syri comitem in singulari le-ctione jam habuimus c. XVI, 3, μάλιστα γνώστην σε πάντων εἰδὼς ὄντα. Viderint lectores, in hosne codices lectio ex Sy-riaca versione irrepserit, cujus in ea natales assequuti nobis conje-ctura videbamur.

4. ἐν ἱεροσολύμοις] Nostri, mutato nonnihil sensu, ἔντε ἱερο-σολύμοις, concinentibus Alexandrino, Laudano 3, & Petaviano 3. Nempe haec lectio ab actis Pauli in juventute distinguit acta Hierosolymitana, quod secus est in consveta lectione.

5. τῆς ἡμετέρας θρησκείας nostri soli omittunt, reliquas etiam voces ita reddunt, ac si legissen ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν ἔζησα Φαρισαίων (pro Φαρισαῖος) Atque etiam haud scio, an pro ἀκριβεστάτην aliud quid a Syro lectum sit, forte ἀκρωιοτάτην: vertit enim ܪܝܫܝܬܐ, i. e. sive *primariam*, sive *antiquam*, quorum neutrum graeco ἀκριβέστατος respondet.

7. ἡμῶν post δωδεκάφυλον soli omittunt.

9. δεῖν soli omittunt.

11. Post βλασφημεῖν soli addunt, τὸ ὄνομα Ἰησοῦ.

13. Soli omittunt πορευομένους.

16. Pro ἀλλὰ nostri soli habent καὶ εἶπέ μοι.

17.

17. Omittunt νῦν: nec vero, quod vult Wetstenius, pro eo substituunt ἐγώ.

Falsum est, quod habet Millius, pro ἀποστέλλω Syrum legisse ἀποστελῶ. Bene omisit Wetstenius.

20. Incertis annumerari debet, quod Millius tradidit, pro ἐπαγγέλλων legisse Syrum, ἀπήγγελλον. Cum soleat participia resolvere, neutrarum partium habendus est.

29. Fallitur Millius, Syrum in his nominans, qui pro ἐν πολλῷ legerunt, ἐν μεγάλῳ. Latinae versioni in polyglottis hunc debuit errorem: a quo purus est Wetstenius.

31. Velesianis lectionibus, quae pro πράσσει habent ἔπραξεν, addendi nostri, atque etiam Vulgata latina.

XXVII, 1. Video hic medium esse Syrum, inter codicum Graecorum, qui a recentioribus excussi sunt, omnium lectionem, eamque, quam in margine versionis Philoxenianae invenit Wetstenius. Quod ut oculis tanquam intelligant lectores, componam triplicem lectionem:

Graec. Vulg.	Syr. Ar.	margo vers. Phil.
ὡς δὲ ἐκρίθη τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς εἰς τὴν Ἰταλίαν.	καὶ ἔκρινε περὶ αὐτοῦ ὁ Φῆστος, πέμπεσθαι αὐτὸν πρὸς Καίσαρα εἰς τὴν Ἰταλίαν.	ὡς οὖν ἔκρινεν ὁ ἡγεμὼν τοῦ πέμπεσθαι αὐτὸν πρὸς Καίσαρα.

Nondumne apparet, aliquid ex margine Philoxenianae versionis in simplicem versionem Syriacam fluxisse? Sed haec deinceps!

Ante ἑκατοντάρχῃ addunt σὺν αὐτῷ τινι, omittentes contra τινάς. Sic illi: καὶ ἑτέρους δεσμώτας σὺν αὐτῷ, τινὶ ἑκατοντάρχῃ.

2. Praemittunt versui, *& cum esset, ut proficisceremur.*

Pro ὄντος, circa finem versus, habent, ἐπιβάντος.

3. Errat Millius, exque illo Wetstenius, illis Syrum addentes, qui pro τῇ τε legerunt τῇ δέ. Vertit ܘܠܝܘܡܐ, ET *die*, ut magis proprie τῇ τε reddere ne potuerit quidem.

5. His qui pro κατήλθομεν legunt, ἤλθομεν, Vulgatae, & codici secundo Covelli, annumerandi etiam nostri,

7. Iterum decepit Millium versio Latina Novi Testamenti Syriaci in polyglottis, ut suspicatus sit, pro Σαλμώνην Syrum legisse Σαλαμῖνα. Atqui scripsit, ܣܠܡܘܢܐ (*Salamona*), non solum per vocalem, quibus minus fido in lectione investiganda, sed & per fulcrum Vau exprimens Ω Graecum. Sic & ex illo Arabs. Laudandus Wetstenius, quod eo errore caret. Si punctorum vocalium ratio habenda esset, quod tamen facere vix audeo, cum duobus codicibus, Amerbachiano & Basiliensi, in lectionem eandem, Σαλαμώνην, conspirasse dicendus foret.

11. Post τὸν πλοῦν addunt ἡμῶν.

12. Pro κἀκεῖθεν habent ἐκεῖθεν, cum Vulg. Alex. aliisque multis.

15. ἐπιδόντες ἐφερόμεθα] Ultimam vocem omittit Syrus, vertens, *& tradidimus in manum illius*, (sc. venti.) Habet tamen quodammodo Arabs: sic ille: *& tradidimus, quomodocunque*

res

res ferebat, ac si esset, ὡς ἔφερεν. Est autem haec lectio ab Arabe expressa, particula majoris assumenti versionis Philoxenianae, manifesto indicio, codicem saltem illum Vulgatae seu simplicis versionis Syriacae, quo Arabs utebatur, ex Philoxeniana interpolatum fuisse. Laciniam totam Philoxenianae versionis ex Ridleyano codice excerpsit Wetstenius: ἐπιδόντες τῇ πνεούσῃ, καὶ συνάγοντες τὸ σκεῦος, ὡς ἔφερεν ἐφερόμεθα.

16. Recte se habent, quae de insula Claudio scripsit Millius, pro quo nomine non *Caura*, sed *Cauda* legit Syrus. Vide varias lectiones ad Syriacum N. T. Schaafii. Habet tamen Arabs اقلودا *Aclauda*, cum Aleph prosthetico Arabibus consueto, ut eam exprimere iterum lectionem similem ob caussam videatur, quam ex Philoxeniana versione & Petaviano codice tertio excerpsit Wetstenius, κλαύδα. Latinizat hic lectio versionis antiquae Syriacae, non autem Philoxenianae.

17. Soli omittunt βοηθείαις ἐχρῶντο.

Incertum est, quod habet Millius, incautiusque ex eo descripsit Wetstenius, Syrum pro τὸ σκεῦος legisse ἱστία. Vertit, *velum*, quam significationem etiam graeco vocabulo σκεῦος vindicat B. WOLFIUS. Neutrarum ergo partium existimandus est.

20. Verba versus transposuerunt nostri, atque ita legerunt: χειμῶνος δὲ οὐκ ὀλίγου ἐπικειμένου ἐπὶ πλείονας ἡμέρας, καὶ μήτε ἡλίου, μήτε σελήνης, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων,

21. ἔδει μεν πειθαρχήσαντάς μοι μὴ ἀνάγεσθαι] Vertunt nostri: *si mihi obedivissetis, non profecti essetis*, ut legisse videantur,

 εἰ μεν

εἰ μὲν πειθαρχήσαντές μοι, μὴ ἀνήγεσθε. Participium πειθαρχήσαντες sumta ellipsi verbi substantivi, (*si obedientes fuissetis*) exposuit, *obedivissetis*.

23. Pro παρέστη nostri habent ὤφθη: praetereaque Syrus μοι omittit, sed sine Arabe.

27. Verum quidem est, quod docet Millius, pro, τεσσαρεσκαιδεκάτη νὺξ ἐγένετο, Syriace legi, *post dies autem* quatuordecim. Nec tamen prorsus liquet, alia a nostris graecis Syrum legisse. Cum enim ex sequentibus intelligatur, noctu accidisse, quae hic narrantur, paraphrastice uti consveto magis dierum quam noctium nomine potuit. Haec forte caussa fuit Wetstenio, omittendi lectionem a Millio notatam.

28. Non omittit Syrus, καὶ πάλιν βολίσαντες, ut tradit Millius, sed solum καὶ βολίσαντες. Vertit enim: *atque iterum paululum navigarunt*, ac si legisset: πάλιν δὲ βραχὺ διαστήσαντες. Arabs expressit quidem βολίσαντες, ita tamen, ut vestigia versionis Syriacae servet, πάλιν non ad βολίσαντες referens, sed ad διαστήσαντες, ita: *postea profecti sunt exiguum, & projecerunt*. Non ergo lectionem, in qua aliquid erroris admissum a Millio erat, debuisset omittere Wetstenius. Sed haec ei saepius dica scribenda, quod utilia aliqua vera omittit, quae Millius, non tam ex nostra versione, quam ex aliis fontibus libaverat. Caeterum cum sola Vulgata Latina, secundoque, quem vocat Millius, codice Cantabrigiensi, haec Syri omissio quodammodo congruit.

31. Initio versus, cum solo Aethiope praemittunt, ἰδών.

32. Post

32. Post σκάφης soli addunt, *a navigio*.

33. Pro μηδὲν προσλαβόμενοι (*nihil cibi sumentes*) nostri habent, *prae desperatione*. Legebantne μηδὲν προσδοκῶντες, repetito superioris incisi verbo? An succurrit aliud verbum, consvetae lectionis similius, cujus magis etiam propria vis in desperatione est?

34. Omittunt τοῦτο γὰρ, & ὑπάρχει, vertuntque: *ut capiatis cibum, ad confirmationem vitae vestrae*. Alteri omissioni concinit codex Reuchlini, seu Basil. VI, primus Wetstenio, qui eum diligentius excerpsit: utinam & docuisset, legatne ὑπάρχει. Vix enim assequor, qui sensus verborum sit, si τοῦτο γὰρ omittatur, maneat ὑπάρχει.

Atque ut verum fatear, non tam puto ὑπάρχει a nostris non lectum, quam nomen aliquod pro eo lectum esse. Verborum satis tenax Syrus, πρὸς τῆς σωτηρίας ὑμῶν, non redditurus erat, *ad vitae vestrae confirmationem*. In mentem mihi venit, hoc exemplo codicem graecum Syri fuisse: παρακαλῶ ὑμᾶς, προσλαβεῖν τροφῆς, πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὕπαρξιν. Nisi dudum hiasset codex Cantabrigiensis, Syriacae versioni conjunctissimus, forte hic nobis aestuandum non esset.

36. Soli omittunt, καὶ αὐτοί.

37. Soli omittunt πᾶσαι.

39. Ante οὐκ ἐπεγίνωσκον addunt, ναῦται.

Male tradit Millius, pro ἐβουλεύσαντο, Syrum legisse, ἐβουλεύοντο: quod recte neglexit Wetstenius.

40. τῶν πηδαλίων] Non pro certo dixerim, utrum hic aliud quid Syrus legerit, an vocabulo usus fuerit minus proprio, an denique Graeca non intellexerit. Vertit enim ܫܘܟܝܢܐ, cui vocabulo nisi fingere significatum ex Graecis velimus, *anchorarum* erit, non *gubernaculorum* nomen. Arabes quidem a *quiescendo* simillimum nostro nomen faciunt, שכאן, *anchora*, quod jam Schafius pag. 384. vocabularii observavit: sicque & Arabs hic reddidit السكان. Hoc tamen dici pro Syro potest, Arabem nostrum, eodem observante Schafio, Jac. III, 4. hoc vocabulo Syriacum ܩܝܣ (*lignum*) reddere, Graeco πηδάλιον ibi respondens. Idemne nomen anchoris & gubernaculis erat? an Syriacum ܫܘܟܢܐ *gubernaculum* est a ܫܘܟܐ, *ramus*? Hoc quidem vero proximum videtur.

Pro κατεῖχον, *tendebant*, habent, *tendebamus*.

XXVIII, 2. Post οἱ βάρβαροι addunt, *qui habitabant ibi*.

Post προσελάβοντο πάντας ἡμᾶς addunt, θερμαίνεσθαι.

4. Omittunt, το θηρίον.

18. Pro ὑπάρχειν habent εὑρίσκειν: quod & indicavit Wetstenius.

19. Post ἀντιλεγόντων δὲ addunt μοι.

21. Post παραγενόμενοι quod secundo casu ponunt addunt ἐξ ἱεροσολύμων: ita quidem: οὐδέ τις τῶν ἀδελφῶν, τῶν παραγενομένων ἐξ ἱεροσολύμων.

22. ὅτι

23. ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται vertunt, *quod a nemine recipiatur.* Legerunt forte οὐ δέχεται, sono utriusque lectionis ita vicino, ut fallere librarium non legentem sed audientem possit. Certius quid de ea habituri eramus, nisi jam dudum hiaret codex Cantabrigiensis.

24. Post οἱ μὲν addunt, αὐτῶν, cum codicibus, Coisliniano 202, & collegii novi illo, qui primus Millio minus distincte dicitur.

25. Pro ῥῆμα ἓν habent ῥῆμα τοῦτο.

26. βλέποντες βλέψετε simpliciter Syrus, *videbitis*: Arabs tamen curatius expressit, *videndo videbitis*.

27. Pro ἰάσωμαι αὐτοὺς, *sanem illos*, habent nostri, *remittam illis*, ac si esset, ἀφήσω αὐτοῖς.

28. His, qui post ἀπεστάλη scribunt τοῦτο, quos inter Alexandrinus, addendi etiam nostri. Occupatum hoc a Wetstenio video.

30. Ὅλην omittunt.

§. VIII.

Ne ad solos actus apostolicos laboris fructus pertineat, dispiciamus primo de colore, ut ita dicam, ac sanguine, id vero est, de cognatione Syriacae versionis cum aliis lectionum variarum fontibus: deinde de Wetsteniano adparatu critico sententiam promamus, quae animum inter scribendum tentans identidem ac solicitans, saepe repudiata, tandem visa est veri simillima. Ita &

Non quidem ex Latina versione facta dici potest Syriaca, utpote ab ea saepissime dissentiens.

& de usu critico versionis Syriacae rectius forte, quam hucusque factum est, judicabitur, & Wetstenii collectioni variarum lectionum non nimium, cum magno damno rei veritatisque criticae, tribuetur.

Disputatum est, latinizetne versio Syriaca? seu ut planius dicam, lectionine versionis Vulgatae Latinae, codicumque graecorum ad eam refictorum, etiam ibi accedere soleat, ubi damnanda est Latina lectio? Qui id affirmarunt, suspicati fere sunt, filiam, ut loquuntur, Latinae versionis, exque ea factam esse Syriacam: alii contra neutris partibus accedere Syriacam versionem censent, nec defuerunt, qui mirificis eam nimiisque laudibus extollerent tanquam prorsus apostolicam ac fere divinam. Historiam controversiae non enarrabo, ne nominandi mihi multi sint, qui de re ipsis minime perspecta sententiam dicere sustinuerunt. Satis est, laudasse Patris mei *tractationem criticam de variis lectionibus novi testamenti caute colligendis & judicandis*, & Beati *Joannis Alberti Bengelii tractationem de sinceritate novi Testamenti Graeci tuenda*, quam sibi missam & humanissime oppositam *cum adspersis hic illic adnotatiunculis* anno 1750. idem edidit pater meus, *Christianus Benedictus Michaelis*: quibus in libris & plus reperias, quod momentum disputationi adfert, quam apud reliquos omnes, nec sine voluptate audias eruditos viros, amicissime & jucunda verborum verecundia dissentientes, ut non disputationi quales re vera esse pleraeque solent, sed colloquio qualia veteres ... gere consueverunt philosophi, interesse te putes.

Id quidem omnino perfecisse pater meus videtur, non ex Latina versione Syriacam manasse: magisque etiam ejus confirmabitur sententia lecto superiore paragrapho, qui mirificam habet lectio-

lectionum multitudinem, soli versioni Syriacae propriarum, neque sive in versione Latina sive in codicibus graecis obviarum, qui ad illam corrupti sunt, certo indicio, Graeca a Syro interprete, & vero ex codice a nostris satis diverso, reddita esse, non Latina. Taceo loca haud pauca, in quibus cum graeca tanquam codicum familia contra Latinizantem facit.

Experientia aliquoties edoctus, quam facile in disputatione critica erretur, soleo de meae sententiae argumentis addubitare, inque omnes partes circumspicere animo, possitne aliquid contra dici. Cum ergo nossem, Latinam versionem ante Hieronymum hodiernae quin sui ipsius dissimillimam fuisse, ita ut in aliis ejus exemplis diversissimae essent lectiones, vereri incepi, ne hae ipsae plurimae lectiones Syriacae, quas a Latina diversas inveneram, cum aliis exemplis versionis antiquioris Latinae conspirarint: unde factum est, ut vacillare iterum & Patris, & meum mihi videretur argumentum, donec sat multa etiam collata essent versionis antiquae Latinae exempla, inque nullo illorum eae lectiones inventae, quas Syriacam a Vulgata Latina sejungere arbitrabamur. Dolebam, versionem, quam dicunt, Italam actuum apostolicorum typis nondum vulgatam esse: at evangeliorum cum non una sed plures, ut ita loquar ad veterum modum, versiones potius Italae quam codices in BLANCHINI *evangeliario quadruplici* ad manus essent; statuebam periculum rei facere, collatisque aliquot Marci capitibus discere, sintne suae Syriaco Novo Testamento lectiones ab omnibus versionibus Latinis diversae, an conspirent cum prisca aliqua Latina quas in Vulgata post Hieronymum non inveneram, singulares versionis Syriacae lectiones.

 Nullo

Nullo partium ſtudio ad hanc inquiſitionem allato, inveni equidem haud paucis in locis, in quibus id vix exſpectaſſem, lectionem Syriacam, ab Hieronymi Vulgata alienam, cum Blanchinianis codicibus veteris Latinae contra omnes nonnunquam codices graecos, quorum hucusque excerpta habemus, conſpirare, ut Marc. I, 17. 30. 31. 35. 41. 45. II, 7. 19. 20. 21. 22. III, 1. 13. 18. 35. IV, 12. 36. 41. V, 13. 21. 30. IX, 18. 44. 45. 47. X, 4. quod mihi ut credant lectores, qui ipſi evolvere Syriaca & Blanchiniana nolunt, jam quidem petendum mihi eſt, petere autem deſinam, ubi mea ad Marcum excerpta Syriaca prodibunt. At longe majorem inveniebam lectionum copiam, quae ſuae ac privae quodammodo manentes verſioni Syriacae, atque cum nullo codice Latinae ſive priſcae ſive recentioris conſpirantes, certiſſimo erant indicio, non ex Latina fluxiſſe Syriacam. Capitum verſuumque numeris pleraſque indicabo, paucas etiam, reliquarum ut loco & exemplo ſint, excerpam. Marc. I, 5. Syrus legit prorſus ſolus καὶ ἐβάπτισεν αὐτούς: 6. καὶ ἡ τροφὴ αὐτοῦ ἦν: 21. 27. 29. 39. 40. II, 17. 23. 26. III, 4. 11. ubi pro καὶ τὰ πνεύματα ſolus habet, τῶν πνευμάτων (*qui habebant plagas ſpiritnum immundorum*) 14. 20. 28. ubi ſolus legit ἁμαρτήματα καὶ βλασφημίαι, ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἀφεθήσεται αὐτοῖς 31. καὶ ἀπέστειλαν (omiſſo πρὸς αὐτὸν) φωνοῦντες αὐτὸν πρὸς ἑαυτούς. 34. IV, 8. καὶ ἀνέτειλε, καὶ ηὔξανε, καὶ ἐδίδου καρπόν. 12. 19. καὶ λοιπαὶ ἐπιθυμίαι ἄλλαι 28. 29. 33. 37. V, 4. 23. 24. 35. 41. VI, 7. 8. 14. 17. ubi ἦν habet pro ὅτι αὐτήν: 27. 41. 44. 52. (in quibus tribus verſibus *panem* in ſingulari habet pro panibus) 51. VII, 1. 7. 15. τὸ ἐκπορευόμενον ——— ἐκεῖνό ἐστι τὸ κοινοῦν 19. 24. 31. εἰς τὰ ὅρια. 36. 37. VIII, 5. 6. 15. 28. IX, 3. 4.

(*Moſes*

(*Moses & Elias*, pro, *Elias cum Mose*) 6. 22. QUIDQUID *potes, juva* ME, MEI *misertus*) 29. 41. X, 19. 27. Sunt in his aliqua minuta, particula demta aut addita, verbaque transposita, sed ne haec quidem critico negligenda sunt, cognationes & tanquam familias versionum codicumque investiguturo: quorum si qua lectorum oculos diligentiamque fugiant, peto ut excerpta mea ad Marcum exspectent, neque statim falsa putent, quae sua ipsi sponte ac nemine monstrante non vident.

§. IX.

Nec tamen negari potest insignis versionis Syriacae cum Latina concentus, aliquam arguens cognationem.

Haec cum ita sint, non tamen potui non mirificam intelligere versionis Syriacae & Latinae Vulgatae, cognationem dixerim, an adfinitatem? ac tantum, tamque manifestum in lectiones singulares, erroresque adeo certissimos, utriusque versionis consensum, ut casu constitisse nequeat. Gravissimum rei argumentum est, quod cum codice Cantabrigiensi, qui unus omnium maxime a librario ad Latinam versionem refictus conformatusque est, per XXII. prima actuum capita septuagesies ac septies (*) contra omnes codices graecos hucusque excussos conspirat. Neque vero quemquam puto tam admiratorem fore codicis Cantabrigiensis, ut eum solum, unius Syriacae versionis suffragio munitum, omnibus opponere codicibus versionibusque reliquis sustineat, atque negare vel adeo dissimulare audeat, ex his singularibus unius codicis uniusque versionis lectionibus, quibuscum egregie agitur, si micae quaedam veri subsint, longe maximam certe partem pro manifestis erroribus habendam esse.

(*) pag. 82.

Hoc quidem unum tantum tamque grave eſt, ut omnem dubitationem eximat, certoque ſciam, hoc luſtrato lectionum agmine etiam Patri meo ſuſpectum illum concentum habitum iri, iisque, quae veriſſime de Syriaca verſione diſputavit, & hoc additurum eſſe: Syriacam, non filiam quidem Latinae, ſed tamen ei aliqua ratione cognatam eſſe. Ut tamen & alii, qui rem aut nunquam aut leviter attigerunt criticam, arbitrari queant, ex paragrapho XI. ſcitu illis neceſſaria praelibabo. Viginti, usque ad triginta codices ſunt, quos cum aliqua ſingulari lectione Syri interpretis in actibus apoſtolicis conſpirare intellexi. Non jam dicam, plurimos ex his latinizantes eſſe, totum hoc ſuo loco ſervans: id modo teneant lectores, nulli plures quam ſex lectiones ſingulares cum Syro communes intercedere, plurimis unam modo, duas, aut tres. Jam poteſtne caſu conſtitiſſe, ut quod alii codices ſexies ad ſummum faciunt unus corruptiſſimus Cantabrigienſis ſeptuageſies faciat & ſepties? Neque is ſolum verſionis noſtrae in actibus apoſtolicis tenor, ſed idem alibi: ſiquidem in X. primis capitibus evangelii Marci cum Cantabrigienſi eam vicies contra omnes codices concinere in lectionibus ſingularibus obſervavi, c. III, 11. 13. 17. IV, 15. 28. V, 21. 23. 26. 28. VI, 25. 28. 31. 38. 59. VII, 12. 21. (bis in eodem verſu). VIII, 1. IX, 37. X, 6. idque Syriacae linguae ignaris planum faciam, ſi quando ſimile lectionum ſpicilegium ad Marcum edidero.

Praeter has autem unius codicis Cantabrigienſis lectiones, plurimas alias in paragrapho ſeptimo invenient lectores, plurimas in Milliano & Wetſteniano apparatu, in quas Syrus cum verſione Latina codicibusque ad eam refictis contra reliquos codices graecos conſenſit ac tanquam conjuravit: earumque ſine dubio valde

augeri

augeri numerus posset, si latinam actuum versionem, qualis ante Hieronymum fuit, (Italam vocare solent) haberemus, quod in Marci evangelio expertus sum.

Est autem triplex earum lectionum ratio, in quibus cum Latina versione, codicibusque graecis ejus sequacibus facere Syrum diximus, cujus distincta & definita scientia non parum momenti ad summam disputationis facit. Primo enim sunt, quas cum Syro habet Arabs, ut (*) c. I, 9. 16. 26. II, 1. 8. III, 12. IV, 1. 5. 24. 33. V, 5. 8. 18. 21. 27. 39. VI, 6. 15. VII, 19. 30. 55. VIII, 6. 12. IX, 39. X, 48. XI, 7. 8. 26. XII, 2. 10. 12. 19. XIII, 20. 34. 35. 48. 49. XIV, 3. XVI, 7. 9. 12. 22. 29. 35. 36. 37. XVII, 2. 4. 13. 14. 16. 20. 25. 30. XVIII, 1. 8. 18. XIX, 1. 6. 8. 9. 14. 20. 23. 24. 27. 28. 38. XX, 13. 24. 25. 30. XXI, 5. 11. 22. 27. 39. 40. XXII, 6. XXIII, 6. 11. 23. XXIV, 15. XXV, 3. 8. XXVI, 4. 31. XXVII, 5. 28. XXVIII, 28. Harum aliquae cum ab omni retro tempore in Syriacis exemplis lectae videantur, erguunt aliquam a stirpe cognationem utriusque versionis, quae qualis sit sequenti paragrapho dicam. Deinde sunt, quas olim non habuisse Syrus videtur, cum ab Arabe Erpeniano non exprimantur, ut c. I, 15. V, 19. VII, 15. 18. VIII, 8. X, 21. 22. 23. 33. 47. XI, 1. 3. 25. XII, 7. 13. 14. 17. XIII, 1. 5. 27. 29. 43. XIV, 4. 13. XV, 13. 18. 23. 38. XVI, 3. 4 8. 9. atque tandem, quas olim in suo exemplo legit, ex eoque expressit Arabs, licet in editionibus novi testamenti Syriaci aliter quam in Latina, atque consentanee graecis legatur. Quo in genere sunt, c. I, 21. II, 43. VI, 3. X, 41. XI, 5. (§. VI.)

(*) Adde etiam, de quibus in paragrapho VII. actum non est, loca; c. IV, 8. VII, 24. XII, 15. XIII, 12. 42. XV, 37. XVI, 26. XXIII, 2. 25. XXIV, 7.

XII, 11. XIII, 11. XV, 7. 18. Utrumque hoc indicium factae aliquando interpolationis versionis Syriacae ex Latina, quae quomodo acciderit deinceps exponam. Manifestius etiam est interpolationis crimen, ubi tale quid a Syro admittitur, quale est, quod paragrapho V. ex c. XIII, 8. & §. VII. ad c. XII, 10. XIV. 13. excerpsi, aut lectionem duplicem, pure graecam atque latinizantem, Syrus conjunxit: ut c. III, 12. XVII, 30. XIX, 18. 25.

Neque minus in evangelio Marci ipsa nonnunquam corruptionis, ex Latina in Syriacam versionem serpentis vestigia detexisse mihi visus sum: cujus rei exempla adscribam, Marc. I, 5. II, 21. III, 9. IV, 10. VI, 19. IX, 18. uberius exponenda, si quando ad Marcum excerpta versionis Syriacae dedero.

§. X.

Unde hic concentus exstiterit disputatur.

Cum negari utriusque versionis cognatio non possit, neque tamen filia Latinae habenda sit Syriaca, dispiciendum est, unde hic tam mirabilis consensus exstiterit: quod donec fiat, non poterit non incredibilis videri ea ipsa, quam oculis cernimus Italiae cum Syria conspiratio, neque deerunt, qui eo consensu duarum antiquissimarum versionum ceu gravissimo argumento veritatem earum lectionum in quas consentiunt confirmari arbitrentur. Non ergo jam de una versione Syriaca, sed de arce criticae sacrae disputari sciant lectores, cumque codices universi Novi Testamenti in duas tanquam dispertiti sint familias, graecam, & latinizantem, id simul quaeri, sitne graeca lectio consveta latinae ac latinizanti praeferenda, an castior in Vulgata Latina lectio expressa sit, magisque ad illam debeat textus noster graecus conformari? Qua de

de caussa cum sub initium fere cum Romanae ecclesiae criticis disputari soleret, fuerunt tandem ex nostris, qui valde Latinam versionem mirarentur, Millius & Bengelius: Whistonus vero, nulla in re modicus, eo progressus est, ut corruptissimum omnium codicum, adeoque latinizantem, ut ne Romanis quidem probari possit, modo non prorsus iniqui sint judices, Cantabrigiensem, prorsus apostolicum, ac normam lectionis verae putaret; qui vir si adhuc viveret, in singulari consensu Syriacae versionis cum suo illo codice apostolico gestiret mirifice & exsultaret. Haec ergo omnis agitatur controversia. Quodsi enim nihil unquam ex Latina in Syriacam, exque hac in illam, manare potuit, manifestissimum veritatis indicium erit insignis utriusque concentus; vincet non Bengelius modo, cujus & ego quondam a partibus hac in caussa steti, sed vincent Romani versionis, de qua gloriantur, Italae defensores, nosque cogent, ejus lectionem textui graeco vulgari praeferre; vicerit denique ipse Whistonus. Contra si, quod potius reor, Latina ex Syriaca, Syriaca ex Latina multum accepit, concentus earum nimius faciet, ut suffragii jure Syriaca excidat, quoties cum Latina consentit, cum suspicio sit, eam ipsam lectionem sive ex Latina haustam, sive ex Syriaca in Latinam illatam adeoque non duo testes Syrum & Latinum, sed unum modo esse; eodemque loco habenda erit versio Syriaca, quando cum Latina facit, quo haberi codex Cantabrigiensis aliaque similia exempla graeca ad latinam versionem conformata solent.

Equidem insignis concentus utriusque versionis caussam minime arbitror esse veritatem earum lectionum, alioquin haud in manifestos consensurae naevos neque toties ab omnibus dissensurae codicibus erant; sed cognationem utriusque versionis, qua

ex

ex Latina multa in Syriacam, exque hac in Latinam manarunt. Sunt autem tres hujus cognationis caussae, aliae prorsus, quam fingere sustinuerunt, qui Syriacam versionem pro filia Latinae habebant.

Primo Latinam versionem antiquam, cujus dissimillima atque etiam contraria sunt exempla, non unam origine sua esse, sed plures versiones, a diversis proditas auctoribus, & Augustinus testis est, & res ipsa clamat; neque obscurum esse arbitror, has diversissimas versiones librariorum culpa confusas inter se esse, unde illa versionis etiam Vulgatae facies, ne in duobus quidem codicibus una, de qua conqueri Hieronymus solet. Sunt certe exempla versionis, quam Italam dicere solent, (quamvis id ei nomen, laudemque cum eo conjunctam a Summe Venerando Moshemio ereptum, meliusque locum Augustini expositum arbitrer) (*) a Blanchino edita, tam & interpretationibus & lectionibus, quas reddunt, diversa, ut collectionem potius aliquam lectionum a se invicem alienissimarum male consarcinatam in illis reperias, quam unam aut plures ejusdem sanguinis ac coloris versiones. Nam ne hoc quidem dari potest, aliam versionem in codice Vercellensi aliisve, & vero puram, servatam esse, quam in reliquis, cum idem codex jam cum hoc jam cum alio codice conspiret, dissideatve, ut licet agnoscas diversas versiones, confusas tamen eas fateri necesse habeas. Quid? si una earum versionum, ex quibus male coaluerunt codices veteris Latinae acriter ab Hieronymo objurgati, ope versionis Syriacae facta sit? Non certe a vero abhorret conjectura, ne sic quidem, si de pluribus idem suspicarer: tot enim sunt in versione Latina ante

(*) in *commentariis de rebus Christianorum ante Constantinum Magnum* p. 224. seqq.

ante Hieronymum Hebraicae, sive adeo Syriacae linguae idiomata, etiam ubi limpidus fluit, & ab omni peregrino colore purus sermo graecus, tam aspera, atque barbara, tam supra omne id quod in novo testamento Graeco Palaestinam & Alexandriam sapit insolentia, ut dubium vix sit, quin illa versio, sive potius illae versiones antiquae Latinae pleraeque a barbaris hominibus factae sint, Latina lingua incommode utentibus, patriamque Hebraico & Syriaco genere Latina efferendi tam manifeste prodentibus, ut hominis doceri nolentis sit, de ea dubitare. Neque enim dici potest, lectione novi foederis, aut graecae versionis prisci foederis, interpretes illos Latinos hanc barbariem contraxisse, quia in antiquis versionibus latinis N. T. multo frequentiores & asperiores barbarismi sunt, quam in illis libris graecis. Horum autem interpretum aliquem, in graecis exponendis Syriacam versionem, sibi familiarem, in subsidium vocasse, non mirum erit: (*) quod si vel in unica factum est versione latina, non potuit non ab eo genere librariorum, quale Latinam versionem turbabat, in reliquas versiones Latinas transferri, sicuti iidem verba & lacinias Matthaei in Lucam, Lucae in Matthaeum intulerunt, deesse putantes in altero, quod alter plenior habebat.

Hinc extitisse credo illos utriusque versionis naevos, quorum origo in Syriaca facilius quam in Latina demonstrari potest: ex quo genere cum sint, de quibus in paragrapho septimo ad c. II, 45. XIII, 48. 49. XIX, 20. 27. XXII, 6. 17. XXIII, 14.

(*) Rationes, quibus motus Syriacam versionem simplicem ex primo seculo repetam, exposui §. 50. 51. *introductionis ad tabulas novi foederis.*

Y

14. XXIV, 14. XXVI, 3. egi, peto, ut lectores argumentorum loco ea recognoscant, quae ad haec loca scripsi. Ne tamen nihil hic exemplorum proponatur, juvat pauca ex Marci evangelio delibare.

Marc. I, 9. pro graeco ἰωάννου, codices Latini, Vercellensis & Veronensis, habent, *ab Johannen*, quod interpretem sapit non modo a cultu Latinae linguae valde alienum, sed & nomen Syriace scriptum, ܝܘܚܢܢ, ante oculos habentem. 45. αὐτόν post μηκέτι latini codices omittere solent: pro quo cum Syrus *Jesu* nomen habeat, Brixiensis codex Latinus, ejus quam reliquorum latinorum similior, idem nomen cum eo expressit. Marc. II, 4. pro ἀπεστέγασαν τὴν στέγην cum Syrus solus omnino habeat, *ascenderunt in tectum*, utramque lectionem conjunxit codex Italae versionis: *ascendentes denudaverunt tectum*. Manifestum est autem, ubi duae lectiones diversae in codice aliquo coaluerunt, alteram ex his ei aliunde illatam esse. Marc. IV, 28, abruptior est lectio codicis Cantabrigiensis: similis autem ei est, nisi quod mollior & elegantior, ea quam Syrus expressit: ἡ γὰρ γῆ καρποφορεῖ. Καὶ πρῶτόν μεν χόρτος, εἶτα στάχυς, εἶτα πλήρης ὁ σῖτος ἐν τῷ στάχυι. Hujus aliquam modo partem expressisse videtur Cantabrigiensis, contra omnes, non graecos solum, sed & Latinos Blanchini codices, ultima verba πλήρης ὁ σῖτος in nominandi casu ponens. Marc. V, 13. ὥρμησεν in proprii verbi defectu circumloquutione expressit Syrus; *cucurrit & cecidit*: quod in latinae linguae copia minime necessarium, neque in reliquis factum latinis codicibus, solus tamen imitatur Veronensis: *& fecerunt impetu ire gregem per praeceps*, ET CECIDERUNT. Tenemus hic manifestum assumentum, in Latina versione valde superva-

vacaneum, quod, nisi ex Syriaca in eam translatum est, unde natum sit doceri cupiam. Marc. V, 39. 40. 41. Cum graeca exempla omnia duplici vocabulo utantur in filia Jairi designanda, jamque eam τὸ κοράσιον dicant, jam τὸ παιδίον, neglecto illo discrimine utrumque vocabulum *puellam* reddunt Latini codices, Vercellensis, Veronensis, Brixiensis, Corbejensis, & Vindobonensis, quod ex Syriaca versione manasse videtur. Cum enim παιδίον non proprie magis verti a Syro potuerit, quam ܛܠܝܬܐ (*Talitho*), idque vocabulum Syriacum in verbis *Talitha Kumi* ab ipso deinde Marco reddatur κοράσιον, mirum non est, Syrum suae linguae ingenio obsequiosum pro utroque vocabulo, παιδίον & κοράσιον, unum reponere ܛܠܝܬܐ. At latino interpreti, qui *infans* & *puella* dicere poterat, similis caussa negligendi discriminis vocabulorum graecorum non fuit, nisi Syrum quodammodo ducem est sequutus. Marc. VI, 17. pro ἔδησεν αὐτὸν, Syrus cum duobus modo codicibus graecis habet, ἔβαλεν αὐτόν. Utramque lectionem iterum conjugunt latini Vercellensis, Brixiensis, & Vindobonensis, *alligavit eum & misit*, ac Veronensis, *alligatum eum misit*. (Vide & huc transfer, quae ad Marc. II, 4. scripsi.) Marc. VII, 21. Pro pluralibus vitiorum nominibus habet Syrus singularia, hoc ordine: *intus enim ex corde hominum egrediuntur cogitationes malae, moechatio, scortatio, furtum, homicidium, injuria, malitia, dolus &c.* quod non tam alius lectionis est, quam consvetum interpretis linguaeque idioma, cujus confer aliud exemplum 1 Petr. IV, 3. Jam vero cum ex omnibus Graecis solus Cantabrigiensis, reliqua etiam vitiorum nomina pluralia habens, πορνεία tamen & φόνος singulariter scribat, idque contra eam ipsam faciat versionem latinam ex qua corruptus est, quae in Cantabri-

giensi codice habet, *fornicationes, homicidia*: poteſtne dubitari, quin singularis hic in Syriaca versione ex linguae ingenio natus, in graeca inde codicis Cantabrigiensis irrepserit? Marc. VIII, 17. pro πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν, graece in Cantabrigiensi legitur, πεπωρωμένη ἐστιν ἡ καρδία ὑμῶν, atque latine: *obtusum est cor vestrum* in Vercellensi, *obtusa sunt corda vestra* in Brixiensi & Cantabrigiensi. Non apparet, quomodo sive ΕΧΕΤΕ graecum, sive HABETIS latinum, in ΕΣΤΙΝ & EST negligentia, & lapsu librariorum mutari possit: at manifesta est lectionis origo in paupertate linguae ac versionis Syriacae, cum enim Syri ipsum *habendi* verbum non habeant, ne potuerunt quidem graeca aliter Syriace efferri, quam, ut factum videmus, ܠܒܐ ܩܫܝܐ ܐܝܬ ܠܟܘܢ *cor durum* EST *vobis*. Marc. VIII, 38. ἐπαισχυνθῇ με reddit vetus Latina, *confusus fuerit me*, neque proprie ad vim graeci verbi, & ita barbare, ut peregrinum & vero Syrum hominem facile agnoscas. Nempe Syriaca versio recte utebatur verbo ܒܗܬ, quod ex usu linguae *pudorem* significans propriam tamen vim in *attonito stupore* habet. Nec enim, quem errorem obiter attingamus, cum Hebraico בוש conferri debet, sed potius cum Arabico בהת, *attonitus*, *mente turbatus fuit*, *obstupuit*, cujus frequens usus est in reo, ad auditam accusationem stupente. X, 6. Κτίσεως omittunt cum Syro codex Cantabrigiensis, Latinique Veronensis & Corbejensis. Quod si omissio ibi primum facta putanda est, ubi accidere facillime potuit, dubium nullum est, quin ex Syriaca versione in Latinam manaverit. Verba enim integra graeca Syrus interpretari debebat: ܡܢ ܒܪܫܝܬ ܕܝܢ ܕܒܪܝܬܐ ܕܒܪܐ (men *brischith* den *dabritho*

dabritho ſabro) ubi quam facile fuerit, ut *dabritho* (creaturae) excideret, praecedente & ſequente voce ſimillima, aut videbunt, me non docente, lectores, aut deſperent criticos oculos.

His quidem ita perpurgatis, ut aequis judicibus probari poſſe videantur, ad alteram progredimur cognationis cauſſam, in cujus me veſtigia deduxit, licet nihil ea de re cogitans, neque intelligens, quanti momenti eſſent quae narrabat, Wetſtenius. Fuit illa Syriae olim lux eruditionis, fuit ſtudium illud criticae ſacrae, quod a Millii maxime tempore eruditiſſimum quemque in evangelica eccleſia exercet: fuit, ut ita dicam, ſuus illi Millius isque ante duodena jam ſecula fato functus atque aut ipſe Polycarpus, Philoxenianae verſionis auctor, aut ejus emendator Thomas Heracleenſis, aut ſi neuter ex his, inglorius nobis, ignobilis, atque nominis honore carens. Rem dictu miram, confirmantemque illud Salomonaeum, *nihil ſub ſole novi fieri!* quam quoties recogito, animum & deſiderio opum criticarum illius ſeculi, quas ſemel amiſſas poſt duodena ſecula ſumma diligentia non totas reparabimus, & moleſto timore perſtringit, fore aliquando tempus, cui noſtrae aetatis inventa apparatusque variae eruditionis non plus proſint, quam nobis, ſive adeo quam ſeculo decimo quarto, prodeſt, profuitque Syriae per ſeculum ſextum & ſeptimum praeclara diligentia luxque criticae eruditionis. Sed haec triſtia abſtergamus; (neque enim miſerando & conquerendo fatalem retardabimus ignorantiae orbem) idque jam agamus, quod nobis propoſitum eſt. Fuit igitur illud tempus, quo ad marginem Philoxenianae verſionis anno Chriſti 507 perfectae, atque a noſtra vulgata ſeu ſimplici valde diverſae, eruditus aliquis Syrus varias lectiones collegit: ejusque editionis, varietate lectionum lo-

cupletatae, codicem auro cariorem possidet Glocestrius Ridley, ecclesiae Anglicanae minister, vir humanissimus. Hunc codicem, suscepto in Angliam itinere, contulit, excerpsit nonnunquam, pleniusque in prolegomenis Novi Testamenti Tomo primo praemissis pag. 112. 113. 114. descripsit Wetstenius; isque invenit, lectiones marginis mirifice congruere cum Cantabrigiensi, ut vel existimaret (*), hujus ipsius codicis excerpta in margine Novi Testamenti Syriaci Ridleyani dari. Hoc quidem suo auctori relinquimus; cum enim latinizantibus codicibus omnibus lectio sit, non quidem una, nec tamen diversa, plurimaeque lectiones codicis Cantabrigiensis in Latinis reperiantur codicibus a Blanchino editis, facile potuerunt eaedem lectiones, quas in Canrabrigiensi habemus, margini Syriacae versionis ex aliis sive Latinis exemplis, sive graecis ad Latina refictis allini.

Jam quae alio prorsus consilio ab homine critico & erudito margini Philoxenianae versionis adscriptae fuerant lectiones latinizantes, facile potuerunt, & incuria librariorum in ejus textum immitti, & optione ac voluntate describentium, quod illis veriores viderentur, cum lectione textus permutari: in quem Philoxenianae textum admissis, hinc in simplicem etiam seu antiquam Syriacam facilis dabatur aditus. Verisimilis haec foret conjectura, si vel nullo exemplo docere possem, tale quid accidisse: at ea relegenti, quae §. VII. ad I, 21. V, 10. VI, 3. VII, 18. 25. X, 41. XII, 10, XIII, 43. XIV, 4. XV, 18. 34. XVI, 4. XIX, 1. 25. XX, 26. XXVII, 1. 15. 16. scripsimus, non jam adferri conjectura, sed ipsa veritas inventa & explorata tanquam manibus teneri videbitur.

Hoc

(*) p. 28. proleg. T. I.

Hoc si subodoratus esset Wetstenius, multo aestimaturus majoris erat Ridleyanum codicem, qui unus omnium maxime facere poterat ad controversiam de lectione graeca consveta eique opposita latinizante dijudicandam. Cum enim jam ipsa teneamus vestigia lectionum latinatum in Syriacam versionem denso immigrantium agmine, concidit antiquissima auctoritas, quae pro lectione latina adferri poterat, Syriacae versionis: suspicione nata, in his eam ex Latina corruptam esse, in quibus cum ea ejusque sequacibus graecis contra codices graecos reliquos conspirat. Nihil videri optatius debebat Wetstenio, lectionum latinizantium gravi adversario, qui & mihi primus earum venerationem, qua Millius me Bengeliusque imbuerant, excussit, quam talis codex, plurimum momenti adferens, ad premendam lectionis latinizantis auctoritatem: neque, hunc ejus usum si intellexisset, scripturus erat: *dici non potest, quam vehementer perculsus, atque ex magna spe deturbatus fuerim, cum viderem, plerasque omnes istas variantes lectiones ex versione Itala, hoc est, ut puto, ex ipsis quos supra descripsi, codicibus A. C. D. & L. esse petitas.* Sic saepe, postquam alia in votis habere coepimus, praestantia nobisque utilissima nacti, non satis in omnem partem de eorum usu circumspicimus, negligimusque parata: neque Wetstenii id vitium est, sed imbecillitatis humanae, cujus nihil a nobis alienum ducimus.

Superest tertia cognationis ratio, quam perspicuis verbis, ut conjectura nulla opus sit, docet nos THEGANUS (*), de Carolo Magno scribens: *postquam divisi fuerant, dominus imperator nihil*

(*) in *opere de gestis Ludovici Pii.* Vide ANDREAE DU CHESNE *historiae Francorum scriptores* T. II. p. 277.

hil agere coepit, nisi in orationibus & eleemosynis vacare, & libros corrigere. Nam quatuor evangelia Christi quae intitulantur nomine Matthei, Marci, Lucae & Joannis, in ultimo anno ante obitus sui diem cum Graecis & Syris optime correxerat. Manifestum est, de Latina versione Theganum loqui, quam instituto doctorum virorum collegio, praeside Alcuino, corrigi & emendari curavit magnus imperator: cui negotio cum & Syriaca exempla adhibita sint, non potuit non major fieri Vulgatae Latinae cum Syriaca consensus.

Ergo, si paucis verbis omnia complecti lubet, primo aliqua versio latina ab homine Syro, assiduo lectore Syriaci Novi Testamenti, facta, cumque reliquis Latinis confusa, Syriacas lectiones multas exemplis Latinis ipsique adeo Vulgatae intulit: deinde, cum ex codicibus Latinis latinizantibusque variae lectiones ad marginem Philoxenianae editionis colligerentur, infinitum earum agmen in textum simplicis Syriacae immigravit: tandem ex hac ipsa simplice castigata sunt jussu Caroli Magni Latina evangelia.

Sequitur autem ex hac triplici Syriacae & Latinae versionis cognatione, perpetuaque conspiratione, ut nova auctoritas lectionibus Latinis ac latinizantibus haud accedat, ubi versio Syriaca cum illis facit, sed ut sit haec, tanquam partium studii suspecta, suffragii tunc jure excludenda, eodemque habenda loco, quo latinizantes codices, Cantabrigiensis aliique similes haberi solent. Ut enim prudens judex duo non testes, sed modo unum arbitrabitur, quorum alter, quae narrat, ab altero audivit; ita &, qui de lectione Novi Testamenti judices sedent, duo sive codices sive interpretes, quorum hic suam lectionem ex altero hausit, non duo ejus testes

testes habere, sed unum, debent. At, ubi a Latina versione, sive potius versionibus, dissidet Syrus, est illi sua auctoritas, suum suffragium; perit enim suspicio, quae eum unum cum latino testem haberi in reliquis jubebat.

§. XI.

Narrantur codices graeci, cum versione Syriaca in lectionibus aut singularibus aut raris conspirantes.

Quo melius autem tanquam de genere, sanguine & cognationibus antiquissimae judicari versionis Syriacae possit, ad seriem literarum, a quibus incipiunt, commemorabo codices, quorum singularem cum Syriaca versione concentum inveni. Singularem concentum dico, cum lectionem ex alio nullo codice adhuc erutam, solus cum uno aliquo codice Syrus habet. Adscribam nonnunquam lectiones, in quibus perpauci codices graeci cum Syriaca versione communicant; raras uno vocabulo dixerim: quoque abundantior judicaturis prosternatur materia, addam & aliqua ex Marci X primis capitibus observata. Ex Actibus sola cito capita ac versus, lectoresque ac paragraphum VII. remitto.

In singularibus ergo lectionibus per actus apostolicos Syro adstipulantur, codices:

1) *Alexandrinus* Act. XIV, 3. XXIII, 23. cum uno praeterea, duobusve aliis, X, 48. XII, 25. XXVII, 4. Idem cum solo Syro ἄλλα omittit, Marc. VII, 8. Latinizare autem codicem Alexandrinum, Wetstenius in prolegomenis pag. 12. usque ad 18. ita evictum dedit, ut dubitari amplius nequeat. Viderant id jam antea nonnulli: quos inter & Pater meus in paragrapho 100. *tractationis criticae de variis lectionibus N. T.* Consensus ergo Syri cum hoc codice, & cum multis aliis ejusdem coloris,

loris, eo referendus, ut, quemadmodum supra disputavi, cognationis magnae cum Latina versione, interpolationisque ex illa, magis suspecta fiat versio Syriaca.

2) *Augustanus sextus*, Act. XI, 12.

3) *Baroccianus tertius*, cum uno atque altero alio, XIX, 8. XXV, 11.

4) *Basileensis B. VI, 27.* seu junior codex primus Wetstenii: XXI, 32. XXVII, 34. Idem in Marci IV, 22. observavimus, ubi pro ἀλλ' habent, εἰ μὴ, consentientes Latinis codicibus a Blanchino editis, Veronensi & Brixiensi. Marc. VII, 21. eodem ordine in solo Basiliensi vitia ex corde egressa commemorantur, quo in Syriaco evangelio. Idem codex cum uno praeterea Latinizante in omissionem verborum, ἢ ἀγρούς, Marc. VI, 56. cum Syro consensit: ejusque generis plura dabo ad Marc. VII, 29. IX, 21. 26. 50. X, 11. Egit de illo codice Wetstenius, p. 42. 43. 44. prolegomenorum Tomi primi, docuitque, jure eum Erasmo latinizare visum esse.

5) *Basiliensis B. X, 20. quartus junior Wetstenii*, XIX, 18. (ubi manifestum est, Syriaca exempla duas lectiones conjungere), duobusque aliis codicibus, quos inter Cantabrigiensis est, sociis c. XVII, 14. Latinismi accusatus jam est a Wetstenio pag. 11. prolegomenorum Tomi II.

6) *S. Basilii Romanus* non quidem omnino solus, cum paucis tamen, inque lectione notatu dignissima, XXI, 27.

7) De *Cantabrigiensi primo* satis dictum est pag. 81. 82.

8)

8) *Cantabrigiensis secundus*: Act. XXVII, 28.

9) *Colbertinus 6083*, Marc. III, 23. solus cum Syro post αὐτοὺς addit, ὁ ἰησοῦς. Est hic codex ex recentioribus.

10) *Colbertinus 2844*: Marc. V, 39. solus pro παιδίον habet κοράσιον, quam lectionem ex Syriaca versione in latinas immigrasse paragrapho superiore ostendimus. Quo facilius etiam adducimur, ut Millio id credamus, de quo Wetstenius dubitat, codicem ad latinam versionem refictum esse.

11) *Colbertinus 4705*, non quidem omnino solus, sed cum uno aut altero codice, Marc. VI, 17. pro ἔδησεν habet ἔβαλε (quam lectionem ex Syriaca in Latinam versionem immigrasse docuimus §. X.) Marc. IX, 21. post ἐπηρώτησεν addit ὁ ἰησοῦς, quod & Latini faciunt Vercellensis & Corbejensis: atque Marc. X, 11. omittit ἐπ' αὐτὴν, consentiente quoque Brixiensi Latino. Quibus in lectionibus, sine dubio latinizantibus, consentit ei Syrus. Recte ergo judicavit Millius, ex latinizantibus esse, licet neget Wetstenius, se tale quid ex lectionibus a Millio notatis deprehendere potuisse.

12) *Coislinianus vicesimus*. Marc. VII, 19. cum solo Syro omittit αὐτοῦ. Est ea lectio minime latinizans, quippe quam in nullo inveni codicum latinorum a Blanchino editorum: ipseque codex eo minus interpolationis ex latina versione suspectus est, quod junctos sibi habens graecos commentarios, librarium graecum prodit. Observatu autem dignum censeo, si quando cum codicibus pure Graecis Syriaca versio in lectionibus singularibus consentit: quod ea res multum faciet ad judican-

dicandum integre de lectionibus singularibus Novi Testamenti Syriaci.

13) *Coislinianus vicesimus tertius* Marc. III, 22. ὅτι posterius solus omittit: idem facit Syrus, & Latini codices Veronensis atque Vindobonensis.

14) *Coislinianus ducentesimus secundus* Act. III, 17. ubi quae scripsimus omnino recognoscenda sunt. Adde raras lectiones c. XII, 18. XXVI, 3. XXVIII, 24. in quibus suspicio est, lectionem ex Syriaca versione in codicem graecum immigrasse. Vide quae infra de Leicestrensi scribam. De Coislinianis 25, 26, 199, qui in raris lectionibus Syro consentiunt, non in singularibus, recognosce scripta ad c. XII, 18. XXVI, 3. XXV, 11. XVI, 12.

15) *Complutensis editio*, si eam inter codices nominare licet Act. XXI, 22. De Latina eam esse familia, re a Wetstenio perorata, nemo dubitabit.

16) *Corsendoncensis* XII, 13. Cum eodem codice in rara lectione consentit Syrus & codex Cantabrigiensis c. IV, 5. XVII, 14. Ad vulgatam hunc codicem nonnunquam refictum esse, observavit Wetstenius p. 45. 46. prolegomenorum Tomi I, eaque suspicio jam confirmari videbitur. Marci c. IX, 37. solus cum Syro παιδίον habet pro παιδίων.

17) *Covelli secundus*, Act. XXVII, 5. Scriptus est anno 1087, eamque unam lectionem singularem, in qua Syro congruit, habet quoque Vulgata Latina.

18)

18) *Covelli tertius*, Act. I, 18. VII, 29. XVI, 22. XXI, 4. XXII, 1. Ex his lectionibus nullam habet Vulgata. Quingentorum annorum codex esse fertur.

19) *Covelli quartus*, XXV, 8. Est codex recens, eaque lectio, in quam cum Syro conspirat, Latinae familiae.

20) *Ephremi*, seu codex antiquissimus ille, a Wetstenio collatus, cui deinde inscripta fuit pars operum Ephremi, ita tamen ut prima scriptura nondum prorsus expallida agnosci legique possit: XX, 24. Est hic docente Wetstenio (*), reque ipsa idem confirmante, ex codicibus latinizantibus, sed valde antiquus, scriptus anno 542. Ex eodem Wetstenio intelligo, lectiones varias in margine Syriacae versionis Philoxenianae perscriptas, mirifice & cum hoc codice congruere (**), quod quo pertineat, ex paragrapho superiore recordentur lectores; eo nempe, ut facilis fuerit lectionum huic codici similium in veterem Syriacam immigratio. Haec cum ita sint, non tamen nisi unicam in actibus apostolicis observavi lectionem singularem, huic codici cum Syro communem: at saepissime memini eum cum magna latinizantis familiae parte Syro accedere. In Marco etiam saepius singularem concentum inveni: nullo enim adstipulante codice Graeco, Ephremi hic, atque versio Syriaca habent, Marc. I, 44. καθὼς pro ἃ, II, 27. ΚΑΙ συχ (cum Vulgata) III, 25. verborum ordine mutato, ἡ οἰκία ἐκείνη σταθῆναι (cum Vulgata, & Brixiensi codice Latinae antiquae) atque IX, 38. cum Coptica versione omittunt λέγων.

(*) Proleg. T. I. p. 27. 28.
(**) Prol. T. I. p. 112. lin. 35.

21) *Laudanus ſecundus*, Act. XII, 12. Quadringentorum annorum eſſe Wetſtenio videtur.

22) *Laudi tertius*, graecolatinus, unusque ex corruptiſſimis, IV, 24. V, 21. XII, 14. XIII, 29. 34. XIV, 3. Adde & lectiones raras, XIII, 43. XVII, 20. XXII, 6. XXVI, 4.

23) *Leiceſtrenſis*, ſeculi XIV, Latinae ſimillimus, Act. XVI, 3. inque lectione rara, quae ex Syriaco N. T. videri poteſt in Latinam immigraſſe c. XXVI, 3. Frequentior hujus codicis cum noſtra verſione in evangelio Marci conſenſus: in quo, nullo graeco exemplo comite, Marc. I, 20. ambo legunt, ἐυθὺς ἀφέντες, c. IV, 28. poſt χόρτον addunt καὶ, atque IX, 34. αὐτῶν poſt τίς, VI, 33. habent ἀυτῷ pro ἀυτοὺς, X, 1. omittunt πάλιν, 21. non verba ſolum cum quibusdam latinizantibus transponunt, ſed & ſoli poſt σταυρὸν addunt ΣΟΥ. Quantumvis autem latinizare codex Leiceſtrenſis Wetſtenio videatur, certum tamen eſt, harum, quas ex Marco commemoravi, lectionum nullam interpolationi ex Latina deberi; nam neque cum Vulgata Latina, neque cum ullo Latinorum codicum antiquorum a Blanchino editorum conſpirant. Creſcit ergo ſuſpicio, ad Act. XXVI, 3. jam ſubnata, exemplum Leiceſtrenſe nonnullis in locis ad Syriacam verſionem refictum eſſe, forte quod a librario illius recitationi adſveto deſcriberetur. Raras lectiones addere lubet, in quas conſentiunt: Marc. VI, 17. ἔβαλεν ἀυτόν (*), VIII, 12. ὀυ δοθήσεται, 29. Χριστὸς

ὁ υἱὸς

(*) Meminerint lectores, ſupra doceri, hanc ipſam lectionem ex Syriaca verſione in Latinae antiquae codices nonnullos immigraſſe.

ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος (cum codice Veronensi Latino) IX, 11. πῶς οὖν λέγουσιν (cum Vercellensi & Brixiensi, Latinis) IX, 14. μαθητὰς αὐτοῦ.

Mirum est, nemini ex criticis hucusque in mentem venisse, graecos codices non minus ex Syriaca versione, cujus latissime per Orientem usus patet, quam ex Latina interpolari a librariis potuisse; cumque viderent ac faterentur, permulta exempla graeca ad Latinam reficta esse, ne suspicari quidem coepisse, idem ex Syriaca aliquando factum esse. Rarius hoc genus interpolationis esse fateor; vix tamen opinabile, monachos Syros, versioni Syriacae adsvetos, Graeca exempla describentes nihil in illis unquam ad vernaculum suum Novum Testamentum refinxisse. Ex hoc ergo genere puto & nostrum Leicestrensem esse, & perpetuum fere ejus comitem (*), Regium 2244, Wetstenio decimum tertium, Küstero Parisiensem sextum. Non solum enim raras lectiones, quas ex Marc. VIII, 12. 29. IX, 11. 14. excerpsimus, idem habet: sed & singularium lectionum societate cum versione Syriaca conjungitur, ut, cum Marc. VII, 23. cum ea sola verba transponens habet ταῦτα πάντα, atque IX, 4. omittit, καὶ ἦσαν, nullo, ne Latino quidem codice concinente. Non mirum ergo in tanta singularium lectionum versionis Syriacae multitudine videri debet, quod de eo refert Küsterus: *unum paene plures varias lectiones suppeditasse, reliquis Parisiis omnibus.* His duobus codicibus addendus comes, de quo supra egimus, Coislinianus 202.

Non

(*) Wetstenius in proleg. T. I. p. 47. *Simillimus est nostro primo & sexagesimo nono*, hic vero est Leicestrensis.

Non possunt non codices ex Syriaca versione interpolati simillimi esse latinizantium, ob magnam utriusque versionis cognationem ac frequentem concentum; unde fere corruptionis ex Vulgata Latina accusari solent: in quo ne erretur, dicamusque latinizare, qui potius Syrissant, caute dispiciendum ac dubitandum est, ad utram harum versionum quisque codex a librario sit accommodatus.

24) *Lincolniensis secundus*, non in singulari quidem, sed tamen in rara lectione concinit, Act. X, 48.

25) *Missyanus*, ex monte Atho advectus, Marc. IX, 2. omittens μόνους.

26) *Montfortii*, *Wetstenio sexagesimus primus*, *Erasmo* (ut putat Wetstenius) *Britannicus*. Solus hic cum Syro Marc. III, 22. omittit prius ὅτι, atque versu 34. κύκλῳ (quod & a Latino codice Vercellensi abest.) Capitis sexti versu 48. cum omnes paene codices habeant ἔρχεται πρὸς αὐτοὺς, hisque duabus vocibus omissis, Cantabrigiensis, cum Vercellensi & Vindobonensi Latinis, ἔρχεται ὁ ἰησοῦς: solus ex graecis Montfortianus utramque lectionem conjunxit, ἔρχεται πρὸς αὐτοὺς ὁ ἰησοῦς, idemque & Syrus fecit, atque, ex Latinis codicibus, Brixiensis.

Accuratius autem inquiri velim in consensum Syriacae versionis cum Monfortiano codice, ut caste & integre de eo judicari possit, quod eo magis necessarium factu severiorque adhibenda cura est, quia solus omnino hic codex erui potuit, qui locum de tribus testibus coelestibus 1 Joh. V, 7. habeat. Monere

nere solent, non solum qui spurium locum arbitrantur, sed & aliqui ejus defensores, ex quibus Bengelium laudasse sufficiat, valde recentem codicem, atque seculi XVI. esse: neque quidquam oppono. Librarium etiam conjecturis assequutus videtur Wetstenius, hominem aliquem graeculum in Anglia tunc versatum, qui & anno 1502. Lincolniensem codicem descripserit: putamus tamen illum, quisquis demum fuerit, Graecum vel Graeculum, codicem habuisse Syriacae versionis valde similem, sive adeo ad illam refictum. Certe & duo alii codices eodem tempore ibidem descripti, inventaque typographia recentiores, Lincolniensis & Novi Collegii (56. 58. Wetstenii) in lectiones raras ac paene singulares duas cum Syro consentiunt, Marc. VII, 12. omittentes ὅτι, & v. 24. ἦλθεν habentes.

Fateor, nihil hoc facere ad locum 1 Jo. V, 7. quem non ex Syriaca versione sumere librarius potuit, quippe a cujus exemplis non minus quam a graecis abest, sed ex Latina Vulgata. Nec tamen quidquam dissimulare volui, quod ad notitiam codicis facere possit, ad cujus unius auctoritatem redeat, necesse est, omnis ista controversia, quatenus ex graecis exemplis de illa sententia fertur. Hoc quidem jam liquere, arbitror, non recentiorem eum Complutensi editione esse, neque ex ea descriptum, quod de Berolinensi codice, verba controversa habente, judicavit docuitque la Crozius; alioqui non contra Complutensem cum Syro in lectiones singulares consensurus fuisset. Id ergo lucrantur dicti, quod putant, Joannei defensores, ut neque ex Complutensibus bibliis manasse versus, de quo dubitatur, in Montfortianum codicem videri queat, neque ad refellendum Erasmum post ejus demum editionem Novi Testamenti ab impostore aliquo monacho codex noster

scriptus sit: qui enim contingeret, ut Syriacae versionis lectiones singulares monachus ei inferret, cum illa versio multis demum postea lustris Europae innotuerit? at, aequumne sit, eumque veritatis amore conjunctum, unum codicem omnium recentissimum, nubi codicum reliquorum opponere, ipsi viderint.

28) *Mori codex*, anno Christi 1297. scriptus, qui Marc. II, 9. solus cum Syro habet, ἁμαρτίαι σου. Est latinizans lectio, in latinis exemplis, Vercellensi, Veronensi, & Brixiensi obvia.

29) *Novi Collegii codex*, *Millio primus*, *Fello secundus*, *Usserio tertius*, in raras modo lectiones cum Syro consentit, Act. XII, 18. 25. XIX, 14. XXV, 11. XXVIII, 04.

30) *Parisiensis, secundus Kusteri, seu Regius 2243, Wetstenio M,* seculo X. scriptus, in quo cum Moscoviticae & Arabicae literae identidem compareant, minor suspicio esse possit, ad Latinaeum exempla refictum esse. Hic Marc. V, 40. cum sola versione Syriaca antiqua post δὲ addit ἰησοῦς, quod nomen versio Philoxeniana asterisco signat: & Marc. VII, 24. cum duobus illis codicibus, quos Syriaci N. T. cognatione teneri supra suspicati sumus, Lincolniensi & Collegii Novi, cumque Syro, habet ἦλθεν. Quid? si & hic annumerandus sit interpolatis ex Syriaca versione? Certe non abludunt a conjectura inscriptiones Arabicae, quae docent, illis ab oris codicem ad nos allatum esse, in quibus reginam venerantur Syriacam versionem coetus christiani.

31) *De Parisiensi sexto, Regio 2244.* pagina 183. aliud agendo diximus.

32)

32) *Petavianus tertius*, Act. XV, 18. Adde lectionem raram c. XXVI, 4. & consensum cum versione Arabica, atque Philoxeniana, c. XXVII, 16.

33) *Stephani* δ. in lectiones duas, singularem hanc, illam rarissimam per X. prima capita Marci cum Syro consentit. Marc. I, 16. cum sola Vulgata Latina ἀμφίβληστρα plurali numero habent, dissentientibus etiam codicibus Latinae versionis antiquioris Verc. & Brix. Lectio est latinizans, cujus in textum Marci immigrantis vestigia ipsa in codice Veronensi deprehendisse mihi videor. Habet hic, *retiam*, a primo casu, *retia, retiae*, quod pro lapsu librarii habentes alii librarii, ignari, a plebe per Italiam non uno genere RETE efferri potuisse, ex *retiam* fecerunt plurale, *retia*. Marc. VIII, 12. contra Latinos non minus codices omnes, quam contra graecos plurimos, nostri pro εἰ habent οὐ, cum solis illis, quos ad Syriacam versionem refictos supra suspicatus sum, Leicestrensi, & Parisio sexto.

34) *Stephani* η. Marc. III, 27. mutato ordine verborum cum sola nostra habet, εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ, τὰ σκεύη κ. τ. λ. v. 31. omittit καὶ posterius, comite Latino Brixiensi codice, VIII, 5. post εἶπον addit, αὐτῷ: IX, 38. pro ἀπεκρίθη λέγων habent, ἔφη, ut Coptus, 43. omittit, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον. Sunt praeter has rarae lectiones multae, quarum societate nostri conjunguntur, ut, quod Marc. VI, 26. cum Medicaeo codice habent ἀνακειμένους, 28. cum Basil. B. VI. omittunt prius αὐτὴν, 51. cum alio Medicaeo omittunt ἐκ περισσοῦ, 56. cum Bas. B. VI. omittunt ἢ ἀγροὺς, quod alii codices tam varie ponunt transponuntque, ut difficilis verae lectionis

 optio

optio videri librario potuerit: IX, 12. cum codice Ephremi omittunt ἀποκριθεὶς, 45. iterum εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον omittunt, sociis in hoc loco codice Ephremi & Bas. B. VI. itemque Veronensi antiquae Latinae versionis exemplo.

Valde confirmat insignis hujus codicis cum Syriaca versione conspiratio, quicquid supra de interpolatione antiquae Syriacae ex margine versionis Philoxenianae disputavimus. Teste enim Wetstenio (*), *margini versionis Syriacae posterioris, seu Philoxenianae multae variantes lectiones ex codice Graeco adscriptae sunt, quae in hoc uno & solo reperiuntur, v. gr. longa illa XXXIII. vocum additio Marc. XVI, 9.* Veritatis inventae indicium est, conjecturas, ubi id non quaeras, agasque aliud, undique exemplis rei confirmari: id quod meae opinioni contingere laetor. Latinizare hunc codicem, adeoque agmen lectionum ex Latinis versionibus ortarum versioni Syriacae immittere, non est quod moneam, cum jam Lucae Brugensi, ac Wetstenio ad Latinam pertinere familiam visus sit.

35) *Vaticanus:* in lectione rara Act. XIX, 18. ubi, quae scripsi omnino recognoscenda sunt. Latinizat codex.

36) *Velesianae lectiones.* Has sive ex Latinis, quod aliqui putant, codicibus, sive certe ex latinizantibus collectas, saepe cum Syriaco N. T. conspirare, nemini jam mirum videbitur. Nos quidem duo rei exempla proponamus, Act. VIII, 12. IX, 39. plura sine dubio daturi, nisi quem cum paragrapho VII. inter retractandum & recognoscendum contulimus Wetstenius, consilio non prudentissimo lectiones Velesianas omisisset.

37)

(*) Proleg. T. I. p. 41. & 112.

37) *Vindobonensis*, Act. XV, 7. XXI, 28.

38) *Usserii primus*: Marc. IX, 27. omittens καὶ ἀνέστη.

39) *Usserii secundus* Marc. VII, 14. post προσκαλεσάμενος addens, ὁ Ἰησοῦς.

40) *Westmonasteriensis*, in rara, antiqua, ac notabili lectione Syro concinens, Act. XXI, 27.

41) *Winchelseanus*. Marc. III, 20. solus hic codex cum Syro habet συνέρχονται, quam & lectionem in margine Philoxenianae versionis invenit Wetstenius. IX, 46. post πῦρ cum Syro addit, αὐτῶν, quod & in Philoxeniana legi indicavit Wetstenius: eandemque nos lectionem in Veronensi antiquae Latinae invenimus. Saepissime autem hunc codicem sequi versionem Philoxenianam, auctor est Wetstenius, p. 58. Prolegomenorum; eumque seculo decimo scriptum videri. Ita denuo confirmantur, quae supra de adfinitate versionis simplicis Syriacae qua Vulgatam Latinam a Philoxeniana attingit, disputavimus.

42) *Wolfii secundus* Marc. V, 14. solus cum Syro omittens, τί ἐστι.

Addo his codicibus indicem versionum, patrum, haereticorum, quos in singularibus lectionibus cum unica facere Syriaca versione observavi.

1) *Aethiopica versio*: Act. XX, 19. XXVII, 31.

2) *Clemens Alexandrinus*: Act. XVII, 23.

3) *Coptica versio*: Act. XIII, 47. XV, 4. 20. XVI, 15.

4) *Gothica*, seu, quod verius reor (*), *Francica evangelia*, pro Gothicis habita, Marc. II, 25. cum solo Syro & Armeno pro αὐτὸς habent ὁ Ἰησοῦς, ac c. IX, 19. post ὁ δὲ idem nomen ὁ Ἰησοῦς addunt. Eadem Marc. VII, 11. bis adjiciunt αὐτοῦ & post πατρὶ & μητρὶ cum unico codice Wheelerii. (reliqui enim codices qui αὐτοῦ addunt omnes, semel tantum illud ponunt) & VIII, 4. ὧδε cum Cantabrigiensi & Leicestrensi omittunt: quod utrumque Syrus facit. Si haec evangelia Francica sunt, Caroli forte Magni tempore conversa, non mirus concentus videri potest ex Thegano recordantibus, Caroli M. jussu etiam Latina evangelia ex Syriacis exemplis correcta esse.

5) *Lucifer Calaritanus*, seculo IV. florens, novique Testamenti dicta ad veteris Latinae versionis modum adferre solitus: Act. V, 18. in lectione singulari Syro concinit; XXV, 5. in rara; in latinizantibus aliis persaepe.

6) *Lucianus haereticus seculi secundi*, de quo Millius plura dabit §. 333. & 728. prolegomenorum, in lectione, quam ipsi crimini dederunt Patres, innoxiae tamen sententiae, praeter duo codices, Syrum suffragantem habet Act. XXI, 27.

7) *Saxonica versio*, ad veterem Latinam facta, Marc. VII, 17. cum solo Syro post εἰσῆλθεν addit, ὁ Ἰησοῦς.

(*) Rationes sententiae meae reddidi in *introductione ad tabulas N. T.* §. 79. *novisque literariis Goettingensibus* (Göttingische gelehrte Zeitungen), scheda 61 anni 1752.

§. XII.

§. XII.

Judicium de singularibus Syriaci N. T. lectionibus.

His praemissis dispiciamus, quid de singularibus versionis Syriacae lectionibus statuendum sit, quarum incredibilem multitudinem esse ex paragrapho VII. recordabuntur lectores: paraphrases enim non esse, sed lectiones credo, quod multas earum jam ab uno aliquo codice, jam a Latina versione, inprimis in evangelio Marci inveni confirmatas, a quibus ad reliquas ejusdem tanquam coloris ac sanguinis argumentum duco. Multas illarum latinizantibus codicibus congruere intelleximus; de quo toto lectionum genere cum sententiam pagina 176. jam dixerimus, nihil hic addimus, nisi; novo hunc concentum argumento esse cognationis versionum Syriacae & Latinae. De codicibus Graecis ex Syriaco Novo Testamento interpolatis, paragrapho XI. nisi satis, tantum certe scripsimus, quantum scivimus potuimusque.

At erant aliae lectiones singulares, in quibus Syrus cum Graecis exemplis, neque ex ipso neque ex Vulgata corruptis, concinit, cumque aliis antiquissimis auctoritatibus: quae faciunt, ut idem sperare in pluribus audeamus, modo codices Graeci diligentius excutiantur, quam hucusque factum putamus. Quotus quisque enim codex vel mediocri ac probabili diligentia collatus est? quam pauci ea cura, ut nullum eorum suffragium neglectum videri possit. Plurimi collatores ibi modo curam, oculosque intendebant, ubi jam observata ante illos lectionis varietas erat, quaerebaturque, utrarum partium esset quem ipsi manibus versabant codex: ac quantum vel diligentissimi intactum illibatumque reliquerint, testis fuit Wetstenius, qui in codicibus jam ante ipsum excerptis abundantissimum invenit spicilegium. Nec tamen hujus ipsius viri diligentia tanta, ut nihil neglexisse eum arbitrer: sed de hoc deinceps. Fortasse unius hominis oculi, acies & intensio

nimi

animi, atque valetudo, tanto operi, tam diuturno, tam illaetabili, non sufficiunt: quod ipsi sensimus in excerpendis Syriacis lectionibus; ut profecto malimus eorum, qui Novum Testamentum cum variis lectionibus edunt, in una aliqua versione aut libro diligenter excutiendo amanuenses esse, quorum illi labore utantur, quam Millii, Wetsteniive, cum oculorum, valetudinisque dispendio, similes. Sed redeamus ad id, unde digressi sumus: sufficit nempe, multis jam exemplis intellectum esse, lectiones Syri quae singulares prorsus & unicae videri poterant codicum consensu confirmari, atque nisi veras satis tamen antiquas esse; quod eo pertinet, ut idem de reliquis ejus lectionibus singularibus speremus.

Nimis amare versionem Syriacam, omnemque deposuisse pudorem criticum existimandus esset, si quis plurimas aut multas harum lectionum veras habere, textuique vulgari graeco praeferre sustineret. Nullam tamen ex tanto agmine antiquarum certe lectionum veram esse, semper errare Syriacam versionem, ubi cum codicibus graecis plurimis hucusque excussis non facit, licet ex codice graeco multum antiquiore omnibus illis, quos nostra aetas vidit, facta, & vel interpolata seculo VII. ex libris sit, quos si superessent inter pretiosissima laudaturi & admiraturi eramus antiquitatis monumenta: non plus pudoris critici, amorisque veritatis habere videtur: inprimis, cum aliquae lectionum Syri singularium sententia sint atque verbis satis elegantes, aliae etiam ejus argumenti, ut dissimulari a librariis potuerint, neque paucae unius jam aut plurium codicum suffragiis firmari coeperint. Exquirendum ergo diligenter, ecquid in tanta adulterati tanquam metalli copia auri sit, lectionesne aliquae singulares, a solo hucusque Syro proditae, verae sint, & quaenam ex tanta multitudine

eo

eo loco haberi debeant: id vero non meris conjecturis ratiociniisve tentandum, sed ab his, quibus ad illa arcana aditus patet, codices graeci consulendi, ubi singularem Syri lectionem prodidi: ac videndum, pluresne ex illis, & a quibus confirmentur libris graecis; quo facto facilius erit, non forte mihi, sed criticis me acutioribus, eas lectiones dignoscere, & ex reliqua turba eximere, quas ante consultos illos codices sola Syriaca versio servaverat, veras, & vulgari lectioni praeferendas.

Caeterum non dissimulo, saepe me mirari solitum, unde tanta lectionum singularium in una versione Syriaca copia, quanta ex codice nullo, ne ex Cantabrigiensi quidem, erui potuit. Quid suspicari coeperim, promam. Fieri potuit, ut margini Philoxenianae versionis ex codicibus non latinae modo familiae, sed & graecae, lectiones adscriberentur, eademque ratione, ut latinizantes, in textum Syriacae Simplicis admitterentur. Quod si factum est, in Syriaca versione, qualis nunc est, compilationem aliquam habebimus lectionum in diversissimis codicibus seculo VII. inventarum. Sin autem secus est, suntque illae lectiones, quas Syriaca cum Latina communes non habet, ipsius primi interpretis, multum ejus liber graecus a nostris, verbis plerumque idem significantibus, nonnunquam tamen & sententiis distabat.

Facilis judicatu res foret, modo constaret, quid illis ipsis locis, ubi lectiones Syri singulares observavimus, habeat margo Philoxenianae versionis: atque, utrum soleant ex solis, ut auctor est Wetstenius, codicibus latinizantibus, an vero & ex aliis qui de graeca familia sunt, lectiones in ejus margine comparere. Quibus de rebus, ut sive me literis, sive orbem eruditum universum

 scripto

scripto publice proposito, certiorem faciat possessor Philoxenianae editionis, Glocestrius Ridley, eo peto majore fiducia, quod ad omnes quaestiones, quas privatis literis ei proposui, humanissime & officiosissime respondit. Utinam majore etiam lectores Novi Testamenti mox afficiat beneficio, aut totum, quem habet, codicem, aut certe partem ejus atque specimen typis describi curans. Quantam ea res gloriam habitura, quam perenne & immortale factura sit Ridleyanum nomen, intelliget ipse, si vel ego hortator operis ac tanquam orator hujus caussae non accedam: nec tamen aegre feret, publice me ab ipso honestissimam flagitare largitionem, qua perficiet, ut semper in ore ac suavi recordatione posterorum versetur. Quod si non licet per alia negotia, perque sumtuum magnitudinem, (quamvis illos defuturos non arbitror, nec tam injurius in Britanniam esse velim, optime de arte critica meritam, ut id vel suspicer) sed si quacunque de caussa non licet, totum statim codicem evulgare; velim, ut primum prodeat Marci evangelium, ex quo de tota editione versionis Philoxenianae cum variis lectionibus melius judicari poterit, si accedant, quae paro, excerpta ex versione Syriaca Simplici ejusdem evangelii, cum Blanchinianis codicibus Latinis collata.

§. XIII.

Suspiciones de Wetstenii in excerpendis codicibus graecis negligentia.

Antequam finem libello faciam, profitebor, quod saepe tacitus mecum, paragraphum VII. retractans, cogitavi. Mirari subibat animum, non jam quod tantam mihi pro spicilegio messem reliquisset Millius, ab illo enim linguae Syriacae ignaro parum exspectari opis debebat, sed quod non plus addiderat Millii excerptis emendaveratque Syriacarum literarum gnarus, omnemque vitam

&

& operam colligendis variis lectionibus N. T. insumsisse visus & professus, Wetstenius. Fuit equidem illud tempus, quo sperare audebam, virum, cujus interpretationibus nonnullis Novi Testamenti, sententiisque theologicis, minime laetabar, in excutiendis tamen codicibus manuscriptis, eruendaque omni lectionum varietate, perfectam aliquam adhibuisse diligentiam, jamque certos nos esse posse, quid in illis saltim libris, quos Wetstenius evolvit, scriptum sit. At fateor, hac me spe magis indies magisque dejici, atque jam paene vereri, ne novo opus sit critico, peractum laborem repetente, fidemque, & diligentiam, quam in Wetstenio ipso desiderare incipio, severis judicibus melius probante. Non ea repetam, quae alii de apparatu ejus variarum lectionum conquesti sunt, ex quibus maxime huc facit, quod demonstrat doctissimus Ernesti (*), non omnes eum fontes adiisse, quos poterat debebatque, saepe codices *quosdam* dixisse, ubi numerandi nominandique ex lege, quam ipse rogavit Wetstenius, fuissent, inque conjecturarum criticarum, quas alii fecerunt, mentione locum non indicasse, ubi quaeri debeant, si quis non conjecturam solam, sed & ejus argumenta scire aveat: neque illud, quod gravius etiam atque invidiosius est, a Summe Venerando Baumgartenio (**) monitum, lectiones ex Patribus multas tralatitias esse, neque Wetstenium ipsos eorum, ut prae se fert, evolvisse libros; quod si est, non majorem fidem haec ejus excerpta merentur, quam Milliana, quae infinitorum errorum Wetstenius accusat, neque eidem in reliquis fidendum est, quem hic tenemus, majorem diligentiam professum, quam praestantem.

(*) In *Specimine castigationum in I. I. Wetstenii editionem N. T.*

(**) in *vindiciis vocis* Θεὸς *in oraculo Paulino 1 Tim. III, 17. obviis.*

Ego vero de ipsa jam in excutiendis codicibus Graecis diligentia subdubitare incipio. Si enim in excerpenda versione Syriaca, facillima intellectu, quam solam ex Orientalibus suis oculis lustrare valens eo majore debebat diligentia tractare, in hac inquam versione, cujus sororem natu minorem tanti fecit, ut ejus visendae gratia in Angliam trajiceret, fidem, & diligentiam, & oculos criticos non probavit homini post eum Syriaca excerpta edenti, sed partim, quod tolerabilius est, saepe cum Millio erravit, atque immensum quantum reliquit intactum, in solis actibus apostolicis aliquot lectionum centuriis neglectis, quodque gravius multo, quae recte habebat Millius nonnunquam omisit (*); sperabimusne in codicibus graecis, qui lectu saepe difficiliores sunt quam Syriaca interpretatu, molestioremque oculis laborem imponunt, plus ab illo praestitum esse. Auget timorem, quod aliquas lectiones codicum a Wetstenio tractatorum, quas indicaverat Millius, neglexisse video Wetstenium, licet vix ulla sit suspicio, male ac per errorem a Millio margini subjectas esse. (**)

Ita ingrata meditanti, dolentique, tantum laborem denuo eruditis exantlandum, molestiae tantum devorandum esse, redduntur literae viri Doctissimi, Joachimi Augusti Junae, Conrectoris Scholae Luneburgensis, in quibus, *diu, inquit, veritus sum, ne diligentiae atque oculis Millii Wetsteniique, necessitate potius quam ratione ducti, nimium tribuamus, ubi codicum, quos inspicere ipsi non possumus, lectiones excerpunt. Gloriari quidem Wetstenium memini, adversarios suos, quantumvis interpretationes suas oppugnent, nullum tamen errorem in lectionum variarum compilatione* *demon-*

(*) c. II, 15. XIV, 13. XIX, 18. XXIII, 9.
(**) §. VII. c. VII, 29. XII, 14. XIII, 1. XVI, 22. 37. XVIII, 8. XIX, 18. 27. XXI, 22.

demonstrare potuisse. Id vero arbitror facile fieri posse, modo codices inspicere liceret, cum in excerptis librorum typis descriptorum gnaviter errasse deprehendatur. Usus est Genevensi editione Petri de la Rouviere, anno 1622. evulgata (*), *eamque post codices manuscriptos in variarum lectionum indice laudare solet. Si qualem hic reperias,* (equidem addiderim, si qualem in Syriacis lectionibus) *talem & in reliquis judices, parum fidei merebitur ejus compilatio, quem laborem non ab uno homine quantumvis docto & diligente, sed a collegio virorum eruditorum suscipi aequum foret, quo majorem ei fidem habere possimus. Mihi quidem Schmidius, Scholae Johanneae Rector, indicem errorum, quos in ea editione excerpenda Wetstenius commisit, legendum dedit: ex quo intellexi, ultra centum lectiones ab eo omissas, quinquaginta praeterea locis aliud, quam in libro erat, nonnunquam etiam contrarium, a Wetstenio descriptum esse. Caussa erroris saepe compendium aliquod graecae scriptionis fuit, nec nimis ignotum insolitumque, sed a Wetstenio prave lectum. Hic vero si illi aqua haerebat, quid de excerptis sperabimus Wetstenianis codicum manuscriptorum, in quibus frequentior errandi occasio?*

Haec cum ita sint, offerantque se mihi, alia omnia quaerenti, haud paucae lectiones a Millio ex codicibus excerptae, quas frustra in Wetstenii opere quaeras, quamvis vix conjectura assequi possis, quomodo acciderit, ut a Millio per errorem margini subjicerentur, ac praeterea videam, quam negligenter Syriacam versionem Wetstenius excerpserit, injuria nonnunquam omittens, quae Millius observaverat: auctor sum lectoribus criticis Novi

Bb 3 Testa-

(*) Ipse Wetstenius p. 151. prolegomenorum Tomi I. annum 1620 indicat: unde puto lapsu scribentis annum 1622. indicari.

Testamenti, ut Millii librum nondum ex manibus deponant, neque putent, omnes ejus opes Wetsteniano illatas, sed ut utriusque usum conjungant. Molestum consilium, (pro uno enim libro semper duo, nec sine oculorum detrimento temporisque dispendio, in manibus tenendi, atque millies consulendi erunt) sed tamen necessarium. Multa debebunt Wetstenio, ac plura ab eo quam a Millio petent; sed forrasse Milliana aliqua Wetstenianis addenda, haec etiam ex illis corrigenda nonnunquam erunt: inprimis, cum consilium non bene captum, codices numeris designandi, in quibus facilior est operarum lapsus, quam in literis initialibus Millii, erroribus multis non potuerit non dare occasionem. Neque enim eam curam emendandis schedis adhibitam a Wetstenio video, quae nobis errores operarum, in numeris facillimos, praestare possit: facitque negligentia Wetstenii in rebus majoribus, in quibus maxime voluit diligens videri, ut saepius etiam, quam errores typographicos deprehendimus (*), commissos

(*) En aliquot menda, quae non quaesita Marcum legenti ultro se obtulerunt, a Wetstenio in erratis non indicata. Marc. I, 45. in variis lectionibus pro ἐλήλυθα habet, ἐξήλυθα: v. 45. post αὐτὸν lineam, omissae vocis indicem omittit, ut prorsus alia lectio indicetur, quam quae indicari debebat: II, 11. eadem linea post καὶ omissa. VI, 46. in textu ipso omissum εἰς τὸ ὄρος. Talia cum invenerim Syriacae versionis excerpta Wetstenianae compilationi adscribens, vereor, ne cum Millio eam conferens multo plura sit inventurus. Facilis in aliis libris erroribus typographicis venia, quam & meo peto: at in nominibus codicum, ipsisque lectionibus earum citandis commissi errores, faciunt, ut nemo secure istiusmodi uti compilatione

missos suspicemur. Utinam autem quibus aditus datur ad codices manuscriptos a Wetstenio excerptos, & capita aliquot integra codicum conferant cum Wetsteniano apparatu, doceantque nos, diligentiorne in codicibus fuerit Wetstenius, quam in versione Syriaca comperimus. Majora petere ne audeo quidem: non, ut integrorum codicum excerpta Wetsteniana recognoscant, multique temporis molestum laborem, in paucas deinde paginas schedasve coactum, inglorii, sed eo rei criticae utiliores, evulgent; malunt enim laudari industriam suam plerique, quam prodesse: non, ut alius iterum Millius Wetsteniusve, illo instructior, hoc melior & diligentior, labori succedat; si enim eo in viro spes decollavit, qui variis lectionibus colligendis tot sumtus & itinera, oculosque paene ipsos, quos debilitasse lectione codicum fertur, impenderat, atque per tot annos in uno illo labore desudaverat, quid de aliis sperabimus? quem nobis fingemus tanta graecae orientaliumque linguarum facultate, Patrum lectione tanta, illis oculis, illo otio, illis etiam ad itinera suscipienda opibus instructum, majore diligentia, fide maxima & omnibus probata, ut perfectus haberi, ac qualem votis expetimus, queat? non denique, ut coeat aliquando collegium virorum doctorum, perficiatque, quibus unius hominis vires non sufficiunt: deerunt enim necessarii sumtus, & nullis emenda stipendiis concordia! Beatam rem criticam, si aliqui sibi singulorum codicum lectiones separatim edendas sumunt, faciuntque in libris graecis, quod nos in versione Syriaca tentavimus: nec festinetur interea nova editio cum lectionum compilatione, novos paritura operarum errores, si nimis saepe

tione possit. Nec enim, ut in aliis libris, produnt se illi naevi & exsistunt, sed latent, & lectores errare cogunt.

saepe repetatur; sed colligantur hi tanquam in medium thesauri, quibus posterorum aliquando aetas, seculumque nepotum, in adornanda praestantiore editione Novi Testamenti uti possit. Talia quidem suasit clarissimus Ernesti, in *specimine castigationum in Wetstenii editionem Novi Testamenti*, quem utinam audiant virum, qui rem sacram bibliothecarum opibus ditare possunt. Nos quidem, quantum in nobis erit, in commune conferemus ex versione Syriaca, atque aliis, donec Graecos nacti codices fuerimus.



